ni
ratio
de
rinis.

Assemanni. De Santis Ferentinis in Tuscia Bonifacio ac Redempto 4 Romae 1744

JOSEPHI SIMONII ASSEMANI

SACROSANCTÆ BASILICÆ VATICANÆ CANONICI,
ET BIBLIOTHECÆ APOSTOLICÆ PRÆFECTI

DE SANCTIS FERENTINIS IN TUSCIA BONIFACIO, AC REDEMPTO EPISCOPIS:

DEQUE PRESBYTERO ET MARTYRE EUTYCHIO,

De quibus Sanctus GREGORIUS *Papa in libro Dialogorum scribit.*

DISSERTATIO

Ad Emum, & Rmum Dominum CARDINALEM

ANNIBALEM ALBANUM

EPISCOPUM PORTUENSEM S.R.E. CAMERARIUM
Et ejusdem Sacrosanctæ Basilicæ Vaticanæ Archipresbyterum.



ROMÆ, MDCCXLV.

TYPIS GENEROSI SALOMONI IN PLATEA S. IGNATII.

SUPERIORUM FACULTATE.

DE SANCTIS FERENTINIS IN TUSCIA, BONIFACIO, AC REDEMPTO EPISCOPIS, DEQUE PRESBYTERO ET MARTYRE EUTYCHIO. DISSERTATIO.

ADPROBATIO.

J*Ussu Reverendiss. P. Aloysii Nicolai Ridolphi S. Pal. Apostolici Magistri Dissertationem* de SS. Ferentinis in Tuscia Bonifacio, & Redempto Episcopis, deque Presbytero, & Martyre Eutychio, *ab Illustrissimo, & Reverendissimo D. Josepho Simonio Assemani Sacrosanctæ Basilicæ Vaticanæ Canonico, & Bibliothecæ Præfecto exaratam summa cum voluptate perlegi. Nihil enim in ea vel moribus, vel Fidei dissonum occurrit. Quinimo sapientissimi Auctoris ingenium, & eruditio in vindicandis vetustissimæ Ferentinæ in Tuscia Ecclesiæ Episcopis* Bonifacio, & Redempto, *& præsertim* Eutychio *Presbytero, & Martyre ita sese explicat ac late diffundit, ut Ecclesiasticæ, ac profanæ Historiæ Auctores principes allucinatos fuisse fatendum sit in confundenda Ferentina in Tuscia, cum Ferentina Campaniæ, seu in Latio Ecclesia. Quapropter luce publica dignissimam Dissertationem existimo, qua lux veritatis, & Illustrissimi Auctoris ingenium latius pateat.*

Joseph ab Angelo Custode Scholarum Piarum Præpositus Generalis, & Sac. Congregationis Rituum Cosultor.

IMPRI-

IMPRIMATUR;

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sac. Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Archiep. Tarſi Viceſgerens.

IMPRIMATUR

Fr. Aloyſius Nicolaus Ridolfi Ordinis Prædicatorum, Sac. Palatii Apoſt. Magiſter.

DE

memque ſervet, PRINCEPS EMINENTISSIME, in præſidium, ac decus literarum, inque meum, meorumque Syrorum præſidium.



ADPRO-

ADPROBATIO.

IN *Dissertatione* de Sanctis Ferentinis in Tuscia Bonifacio, ac Redempto Episcopis, deque Presbytero, & Martyre Eutychio, *incredibili diligentia, & acri cautoque judicio elaborata a R. P. D. meo Josepho Simonio Assemano, de Occidentali æque ac de Orientali Ecclesia optime merito; quam ex præscripto Rmi P. Nicolai Ridolphi Sac. P. Ap. Magistri, una cum Actorum Appendice, attente perlegi; multa inveni, quæ discerem, ad Italiæ veteris Geographiam, & ad sacram profanamque Eruditionem spectantia; nihil, quod ad Fidei puritatem, & morum integritatem pertineat, censura dignum offendi. Quapropter eandem publica luce, nec non Eminentissimi Archipresbyteri nostri auspiciis, ejusdemque justa in B. Eutychium pietate dignissimam censeo. A. D. VI. Id. Quint. MDCCXLV.*

J. Carolus Boschi Abbr. de Curia,
& Sac. Rituum Congr. Consultor.

ADPRO-

DE SANCTIS FERENTINÆ
IN TUSCIA CIVITATIS EPISCOPIS
BONIFACIO, ET REDEMPTO
Deque ejusdem Civitatis Presbytero, ac Martyre
EUTYCHIO.
DISSERTATIO.

I. *Dissertationis occasio ex Dialogis S. Gregorii Papæ, in quibus agit de Ferentinis Episcopis, Bonifacio, ac Redempto, deque Eutychio Martyre.*

I  REGORIUS I., nomine, rebusque gestis Magnus, in aureis illis Dialogorum libris, quibus exemplo Hieronymi, Theodoreti, & Cassiani, illustriora quæque Patrum, qui paulo ante in Italia floruerant, facta describit, binos *Ferentinæ civitatis* Episcopos laudat: *Bonifacium* lib. 1. cap.9., & *Redemptum* lib.3. cap.38. Ibidem *Eutychium Martyrem* affirmat Redempto Episcopo apparuisse, eumque de appropinquante fine mundi præmonuisse, quem ipse Gregorius Pontifex per Longobardorum irruptionem exponit.

II. *Quænã Ferentina illa civitas? In Tuscia, an in Hernicis?*

II Jam vero quæritur inter doctos Viros primum, quænam fuerit *Ferentina* illa civitas, cui præfuere Episcopi *Bonifacius*, ac *Redemptus*? utrum una, eademque in Tuscia; an una in Tuscia, altera in Hernicis? Deinde quis ille *Eutychius* Martyr, qui Redempto Præsuli apparuit? Ferentinas ne in Hernicis, quemadmodum nonnulli sentiunt; an Ferentinas in Tuscia, adeoque Presbyter ille, ac Martyr, cujus Corpus apud Surianum in Etruria religiosissime colitur? sicut alii clarissimi Viri affirmant.

Quoniam autem hæc omnia, ut opinor, lucem

 aliun-

aliunde habere nequeunt, quàm ex auctoritate Gregorii Papæ, qui primus, & solus ex antiquis Scriptoribus Bonifacium, Redemptum, atque Eutychium commemoravit: non possum, quin ipsius Sanctissimi Pontificis verba describam, quæ Dissertationis hujusce materiem mihi præbent.

III. *De Bonifacio Episcopo Ferentino ex S. Gregorii Papę Dialogis.*

III Ait igitur de S. Bonifacio Ferentinæ Civitatis Episcopo lib. 1. cap. 9. *Fuit vir vitæ venerabilis, Bonifacius nomine, qui in ea civitate, quæ Ferentis dicitur, Episcopatus officium tenuit, & moribus implevit. Hujus multa miracula is, qui adhuc superest, Gaudentius Presbyter narravit. Qui nutritus in ejus obsequio, tanto valet de illo quæque veracius dicere, quanto eis contigerit & hunc interesse.* Pergit octo miracula a Sancto Episcopo perpetrata narrare. Primum videlicet, quod vinea Ecclesiæ Ferentinæ grandine vastata, ex paucis racemis omnia, quæ allata fuerant, pauperum vascula impleverit. Alterum, quum in natalitio Beati Proculi Martyris die Missarum solemnia egisset, & ad mensam Fortunati nobilis viri venisset, importuni cujusdam joculatoris, qui repente ante januam cum simia adstiterat, & cymbala percutiebat, mortem prænunciavit. Tertium, quum duodecim aureos Constantii Presbyteri nepotis sui in pauperes distribuisset, eosdem orando receptos, in sinum furentis Presbyteri projecit, dicens: Ecce solidos quos quæsisti; sed hoc tibi notum sit, quia post mortem meam in hujus Ecclesiæ Episcopum non eligeris propter tuam avaritiam. Quod & eventus probavit: nam idem Constantius in Presbyteratus officio vitam finivit. Quartum, duobus Gothis hospitibus, Ravennam contendentibus, parvum vas ligneum vino plenum manu sua præbuit, ex quo illi nullo die cessarunt bibere, & tamen vinum eis ex illo vasculo nunquam defuit. Quintum, quadam die ingressus hortum, quum magnâ hunc erucarum multitudine invenisset esse coopertum, in nomine

Do-

Domini Jesu Christi erucas adjuravit, ut inde recederent: quæ statim ad Viri Dei verbum ita omnes egressæ sunt, ut ne una quidem intra spatium horti remaneret. Atque hæc quinque miracula Bonifacio Episcopatum gerente contigerunt. Tria postrema, dum adhuc puer esset. Sextum videlicet, quod nonnunquam egressus hospitio, sine lineo, crebro etiam sine tunica revertebatur: quia mox ut nudum quempiam inveniebat, vestiebat. Septimum, quum die quadam horreum ingressus, pene omne triticum, quod mater sibi in stipendium totius anni præparaverat, puer Bonifacius pauperibus erogasset, quumque eam ob causam mater filium increpasset; ipse orando, tritico vacuum horreum ita implevit, sicut plenum antè non fuerat. Octavum denique, ablatam a vulpe gallinam recepit, & vulpem ipsam ante suos oculos in terram cecidisse vidit, postquam ab oratione surrexit.

IV. *Verba S. Gregorii Papæ de Redempto Ferentino Episcopo, & Eutychio Martyre.*

IV. De Sancto autem Redempto, quum Petrus Diaconus quereretur, incassum bonos subtrahi, quod videret & malos catervatim perire; ita respondit idem S. Gregorius lib. 3. cap. 38. *Hac de re nihil, Petre, mireris; nam Redemptum Ferentinæ civitatis Episcopum, vitæ venerabilis virum, qui ante hos fere annos septem ex hoc mundo migravit, dua dilectio cognitum habuit. Hic, sicut mihi adhuc in monasterio posito valde familiariter jungebatur, hoc, quod Joannis junioris prædecessoris mei tempore de mundi fine cognoverat, sicut longe lateque claruerat, a me requisitus, mihi ipse narrabat. Ajebat namque, quia quadam die dum Parochias suas ex more circuiret, pervenit ad Ecclesiam Beati Eutychii Martyris. Advesperascente autem die stratum fieri sibi juxta sepulcrum Martyris voluit, atque ibi post laborem quievit: quum nocte media, ut asserebat, nec dormiebat, nec perfecte vigilare poterat, sed depressus, ut solet, somno, gravabatur quodam pondere vigilans animus; atque ante*

eum idem Beatus Martyr Eutychius adſtitit, dicens: Redempte, vigilas? cui reſpondit: vigilo. Qui ait: Finis venit univerſæ carnis: Finis venit univerſæ carnis: Finis venit univerſæ carnis. Poſt quam trinam vocem viſio Martyris, quæ mentis ejus oculis apparebat, evanuit. Tunc vir Dei ſurrexit, ſeque in orationis lamentum dedit. Mox enim illa terribilia in cœlo ſigna ſequuta ſunt, ut haſtæ, atque acies igneæ ab Aquilonis parte viderentur. Mox effera Longobardorum gens de vagina ſuæ habitationis educta, in noſtram cervicem graſſata eſt, atque humanum genus, quod in hac terra præ nimia multitudine, quaſi ſpiſſæ ſegetis more, ſurrexerat, ſuccisum aruit. Nam depopulatæ urbes, everſa caſtra, concrematæ Eccleſiæ, deſtructa ſunt Monaſteria virorum, ac feminarum, deſolata ab hominibus prædia, atque ab omni cultore deſtituta in ſolitudine vacat terra, nullus hanc poſſeſſor inhabitat, occupaverunt beſtiæ loca, quæ prius multitudo hominum tenebat. Et quid in aliis partibus agatur, ignoro; nam in hac terra, in qua nos vivimus, finem ſuum mundus jam non nunciat, ſed oſtendit.

Hæc Gregorius Pontifex: cujus teſtimonio conſtat, Eutychium Martyrem in Diœceſi Ferentina jam tum in Sanctorum numero cultum fuiſſe, ſuoque nomini nuncupatam Eccleſiam habuiſſe, quum Dialogos ſuos Sanctus Gregorius conſcriberet: id enim teſtatum faciunt ea verba, quæ ſupra de S. Redempto Epiſcopo deſcripta ſunt: *Dum Parochias ſuas ex more circuiret, pervenit ad Eccleſiam Beati Eutychii Martyris: adveſperaſcente autem die ſtratum fieri ſibi juxta ſepulcrum Martyris voluit.* Exſtabat ergo inter Parochias Ferentinæ Diœceſeos, etiam nobilis Eccleſia Beati Eutychii Martyris, in qua & ipſius ſepulcrum religiosè colebatur. Sanctus autem Gregorius Dialogorum libros conſcripſit anno Chriſti 593. aut 594., ut in præfatione in eoſdem Dialogos oſtendunt

-dunt clarissimi Viri Maurini Monachi §.18. pag.116.

V. Quum vero ab ipsis Catholicæ Ecclesiæ primordiis in more positum sit, ut cujusque Martyris natalis dies ex scripto recitaretur in Ecclesia, eodemque quo passus est die recurrente, per singulos annos in ejusdem Sancti Martyris memoriam Deo offerretur sacrificium; (cujus quidem moris testes locupletes habemus S. Cyprianum in Epistola ad Presbyteros, & Diaconos Ecclesiæ Carthaginiensis: *Dies eorum* (Martyrum) *quibus excedunt, adnotate; ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus*. Et S. Gregorium Papam lib.7. Regist. Epistola 29. *Nos pene omnium Martyrum distinctis per dies singulos passionibus, collecta in uno Codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus*.) Quæritur, quis in Martyrologio dies Beato Eutychio Martyri olim assignatus fuerit? Quandoquidem certum est, non minus ipsius, quam aliorum Martyrum memoriam celebratam fuisse. Auctor est idem Gregorius Papa lib.1. Dialogor. a Bonifacio Ferentinæ civitatis Episcopo natalitium Beati Proculi Martyris diem celebrari consuevisse: *Alio namque tempore*, inquit, *Beati Proculi Martyris natalitius propinquabat dies, quo in loco vir nobilis, Fortunatus nomine, manebat: qui magnis precibus ab eodem venerabili viro* (Bonifacio Episcopo) *postulavit, ut quum apud Beatum Martyrem Missarum solemnia ageret, ad benedictionem dandam in suam domum declinaret*. Hinc in antiquis tum manu exaratis, tum impressis Martyrologiis nomen *Proculi*, seu Procli Martyris inscriptum reperitur die 14. Aprilis hoc elogio: *Interamnis Beati Proculi Martyris*: seu die 1. Junii: *Bononiæ Sancti Proculi Martyris, qui sub Maximiano Imperatore passus est*. Non convenit enim inter eruditos, qua die de illo S. Proculo Martyre agatur in Martyrol. Rom. de quo S. Gregorius Papa loquitur: ne-

V. Tamquam certum quidem statuendum est, in Ferentina Ecclesia celebrari consuevisse memoriam S. Eutychii Martyris, non secus atque ibi colebatur dies Festus S. Proculi. Gregorio Papa Teste.

que

que quis ille fuerit, aut quo tempore martyrium subierit: quamquam Baronius, & Henschenius postremam hanc sententiam priori præferant. Sed de hoc Proculo Martyre consulenda sunt, quæ doctissime, ut semper solet, scripsit Sanctissimus Pontifex Benedictus XIV. in lib. de Sanctis Bononiensibus ad diem 1. Junii; ubi Sanctum Bonifacium nostrum vocat *Episcopum Ferentini*. Si igitur in Ferentina civitate natalitius colebatur Beati *Proculi* Martyris dies, cujus ibi neque Reliquias, neque Ecclesiam exstitisse, vetera monumenta declarant: quis negaverit, Eutychii Martyris solemnia a Ferentinatibus celebrata fuisse, qui Ecclesiam ejus nomini nuncupatam, & sacrum ipsius Corpus se habere gloriabantur?

VI. *In Antiquis tamen Martyrologiis nomen Eutychii Martyris non reperitur inscriptum.*

VI. Antiqua tamen, quotquot exstant manu scripta Martyrologia, quæ Hieronymi, Bedæ, Usuardi, & Adonis nomen præferunt; Kalendaria etiam, quæ Martyrologiis ipsis, sive Missalibus vetustissimis, aut Breviariis præmitti solent, de Eutychio Martyre, cujus B. Gregorius meminit, ne verbum quidem.

VII. *Quot, & quales Eutychii Martyres a Latinis, & Græcis coluntur.*

VII. Tam in vulgatis Martyrologiis, quàm in manuscriptis, quotquot videre licuit, Codicibus, isti Martyres laudantur, quibus nomen Eutychii, seu Eutychetis est impositum.

I. *Eutychius* Martyr Romæ, sepultus in Cœmeterio Callisti, cujus sepulcrum S. Damasus Papa versibus exornavit, die 4. Februarii. Corpus e dicto Callisti Cœmeterio, ad Basilicam S. Laurentii in Damaso ad Theatrum Pompeji, translatum est: nomen vero ex antiquis monumentis in Martyrologium Romanum illatum. Baronius in Not. ad Martyrol. Rom. die 4. Febr. recitat versus S. Damasi Papæ.

II. *Eutychius* Patricius, & Martyr, cum sociis, Carrhis in Mesopotamia, ab Evelid Arabum Rege ob Fidei confessionem anno Christi 733. vel 741. interemtus, die 14. Martii, de quo in historia Miscel-

la

la ex Theophane lib. 21. his verbis: *Eodem anno, quo Evelid interfecit Christianos captivos in omni civitate, inter quos & Eutychius filius Mariani Patricii Martyr verus ostensus est in Carrhis Mesopotamiæ, ubi & Reliquiæ ejus sanitates per Dei gratiam operantur, multi alii per sanguinem consummati sunt.*

III. *Eutychius*, & socii Martyres, Alexandriæ, qui Constantii tempore sub Georgio Episcopo Ariano pro Fide Catholica gladio cæsi sunt die 26. Martii, quorum meminit S. Athanasius in Epistola ad Solitarios, & in Apologia secunda.

IV. *Eutyches*, Victorinus, & Maro, qui primò cum Beata Flavia Domitilla apud Insulam Pontiam in Christi Confessione exules, postmodum sub Nerva Imperatore liberati, demum in persecutione Trajani ab Aureliano Judice variis pœnis jussi sunt interfici die 15. Aprilis: quorum Passionis acta recensentur in Vita SS. Martyrum Nerei, & Achillei. Eorumdem meminerunt in Martyrologiis suis Beda, Usuardus, Ado, & alii, licet Beda Maronem prætereat.

V. *Eutychius*, Timotheus, & Polius, seu Hippolytus, Diaconi, & Martyres in Mauritania Cæsariensi sub Diocletiano Imperatore die 21. Maji, de quibus Beda, Usuardus, Ado, Maurolycus, Galesinius, & alii.

VI. *Eutychius* Martyr, Discipulus B. Joannis Evangelistæ, die 24. Augusti, de quo Græci in Menologio; quem Ferrarius in Catalogo Sanctorum *Eutychen* S. Pauli Apostoli Discipulum vocat.

VII. *Eutyches* Martyr Puteolis in Campania, socius Sanctorum Januarii Beneventanæ civitatis Episcopi, Festi ejus Diaconi, & Desiderii Lectoris, Sosii Diaconi Misenatis, Proculi Puteolani, & Acutii, qui post vincula, & carceres capite cæsi sunt sub Diocletiano

Prin-

Principe die 19. Septembris: de quibus Beda, Usuardus, Ado, ac cæteri Latinorum, sed & Græci in suo Menologio.

VIII. *Eutychius*, Plautus, & Heracleas in Thracia passi, de quibus Beda, Usuardus, & alii die 28. Septembris. Maurolycus autem hoc illos elogio exornat: *In Thraciæ civitate Abdera Eutychii Episcopi, Plauti, & Heracleæ.*

IX. *Eutychius* cum fratribus, Placido Monacho discipulo S. Benedicti Abbatis, Victorino, & Flavia Virgine eorum sorore, item Donato, Firmato Diacono, Fausto, aliisque triginta Monachis: qui Messanæ in Sicilia a Manucha pirata pro Christi Fide necati sunt, die 5. Octobris: de quibus Beda, Usuardus, & alii.

X. *Eutychius*, Honorius, & Stephanus, Martyres in Hispania, die 21. Novembris, de quibus Laurentius Padil. Vasæus in Chronico, Flos Sanctorum Hispaniæ, & Thesaurus Conciliorum Tom.2. hac die.

XI. *Eutychius* alter Martyr in Hispania die 11. Decembris: de quo Beda, Usuardus, Ado, Laurentius Padil., Vasæus in Chron. Hispan., Flos Sanctorum Hispaniæ, & Thesaurus Concilior. Tom.2. hac die.

XII. *Eutychius* Presbyter, & Domitianus Diaconus, Martyres Ancyræ in Galatia die 28. Decembris, de quibus Usuardus, & alii recentiores.

XIII. *Eutyches* duo, ex quadraginta Martyribus Sebastenis, quorum nomina a Bollandianis recensentur ad diem 10. Martii pag.12.

XIV. *Eutychius*, Cantianus, & Euthymius, Martyres Aquilejæ, ex Martyrologio S. Hieronymi, de quibus Henschenius ad diem 30. Maji pag.239.

XV. *Eutychius*, Pergentius, Philippus, Saturninus, & Julia, Martyres in Cilicia, de quibus Maurolycus ad diem 4. Junii.

Idem Maurolycus die 2. Julii alterum *Eutychium* lau-

laudat, qui in Campania cum sociis Aristone, Crescentio, Urbano, Vitale, Justo, Felicissimo, Felice, Martia, & Symphorosa, martyrio coronatus est: sed illum *Eutychianum* vocant Beda, Usuardus, Ado, & alii, qui ejus, sociorumque passiones ex actis Sancti Sebastiani die 20 Januarii describunt.

Joannes Molanus in additionibus ad Martyrologium Usuardi, quod anno 1573. Lovanii edidit, ad diem 9. Aprilis ex Menologio Græcorum Venetiis anno 1532. excuso hæc habet: *Die nona sancti Martyris Eutychii*. Quis vero hic Eutychius fuerit, aut ubi martyrium, vel sub quo Principe consummarit, non indicat. Illum tamen diserte distinguit ab Eutychete Maronis, & Victorini socio, cujus memoriam ex eodem Usuardo ad diem 15. Aprilis ponit.

Ferrarius in Catalogo Sanctorum die 5. Junii *Eutychium* Episcopum Comensem memorat: & die 15. Novembris *Eutychium* Syracusanum Præsulem.

Tillemontius in historia Ecclesiastica, præter alios plures Eutychios, quorum gesta refert, laudat *S. Eutychen*, qui circa annum Christi 260. Christianam fidem Gothos docuit, teste S. Basilio magno Epist. 338. *Tom.* 4. *pag.* 130. *Tom.* 9. *pag.* 87. *&* *Tom.* 10. *pag.* 2. Meminit etiam *Tom.* 2. *pag.* 885. alterius *S. Eutychetis*, qui in actis S. Concordii Presbyteri, ac Martyris ad diem 1. Januarii apud Bollandianos dicitur solitariam vitam temporibus Marci Aurelii Antonini Imperatoris apud Trebulam in Umbria in prædiolo suo egisse: eumdem autem Concordium Martyrem, quem Torquatus Præses in urbe Spoletina in carcerem ob Christi fidem conjecerat, una cum S. Anthimo Episcopo visitasse. **Hujus** Eutychetis meminit Usuardus in Martyrologio ad diem 1. Januarii, Cod. Ms. Vat. 377. qui pertinuisse olim dicitur ad Monachos Carthusianos Bononiæ: in hæc verba: *Sequenti nocte venit ad eum* (Concordium) *Beatus Eutychius cum Anthimo Episco-*

B *po*,

po. Subjungit Tillemontius: *Quid postea de hoc S. Eutyche factum sit, non liquet. Esset autem omnino temerarium sine aliquo certo fundamento affirmare, illum fuisse eumdem, ac S. Eutychem Martyrem in cœmeterio Callisti apud Urbem sepultum, cujus Epitaphium habemus a Damaso Papa conscriptum*. Ejus enim mentio præterquam in Actis S. Concordii Spoletini Presbyteri ac Martyris, ut supra dictum est, nusquam reperitur.

Denique Andreas Hieronymus Andreuccius Societatis Jesu, Vir de patria Viterbiensi optime meritus, & doctrina non minus, quam pietate insignis, in eo volumine, quo Acta Sanctorum Martyrum Valentini Presbyteri & Hilarii Diaconi illustrat, quod Italice prodiit Romæ anno 1740. quum de S. Eutitio Presbytero ac martyre agit pag. 80. & seqq. qui in actis eorumdem Martyrum Viterbiensium laudatur, in eam descendit sententiam, ut asserat, Eutychium quidem, cujus corpus in oppido Surianensi colitur, non fuisse memoratis Martyribus Valentino & Hilario æqualem, sed longe antea Ferentinam Ecclesiam exornasse, temporibus nimirum S. Ptolemæi Episcopi & Martyris, qui Christianam Fidem in Pentapoli Tusciæ, idest, in eo Etruriæ tractu, qui Nepete, Fidenas, Phaliscos, Villam magnam, & Ferentum comprehendit, a S. Petro Apostolorum Principe illuc missus, annunciavit, & martyrii coronam sub Claudio Nerone circa annum Christi 67. vel 69. adeptus est; illum vero *Eutychium Presbyterum*, cujus honorifica fit mentio tum in actis SS. Valentini & Hilarii, Gratiliani & Felicissimæ, tum in iis S. Secundi Amerini, & S. Landi Hortani Martyris, aut unum eumdemque esse cum laudato Eutychio S. Ptolemæi Episcopi socio, cujus proinde nomen in ea Acta ex populari vulgi traditione sit perperam a sciolis amanuensibus intrusum; aut alium omnino esse Eutychium

Pres-

Presbyterum, qui per ea tempora, hoc eſt, Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, vixerit, eaſque Tuſciæ, & Umbriæ partes, in quibus ſupra laudati Martyres Valentinus & Hilarius, Gratilianus & Feliciſſima, Secundus & Landus ob Chriſti confeſſionem tormentis ſubjiciebantur, divini verbi prædicatione illuſtraverit. Duos igitur Eutychios exſtitiſſe, vir doctus exiſtimat: alterum Ferentinum Presbyterum, qui temporibus S. Petri claruit: alterum recentiorem, qui ſub Diocletiano, & Maximiano circa annum Chriſti 305. ea omnia geſſit, quæ in actis eorum Sanctorum referuntur. Atque hæc de Eutychiis Martyribus, qui apud Latinos occurrunt.

Græci in Menologio Eutychios iſtos laudant, qui coronam Martyrii ſunt adepti.

I. *Eutychius* in crucem actus 2. Septembris, hoc elogio: ὁ Ἅγιος Εὐτύχιος σταυρωθεὶς τελειοῦται, *Sanctus Eutychius cruci affixus conſummatur*; quem Tillemontius Tom.5. art.4. exiſtimat eſſe filium S. Polyeucti, qui colitur in Martyrologio Romano die 13. Februarii. Eutychii autem fit mentio in actis S. Andreæ Tribuni ac Martyris die 19. Auguſti.

II. *Eutychius*, & Theſſalonica, & ſocii biſcentum viri, & ſeptuaginta mulieres Martyres, gladio cæſi 19. Decembris.

III. *Eutychius*, Baſſus, Euſebius, & Baſilides Martyres ſub Diocletiano, die 20. Januarii.

IV. *Eutychius* Martyr cum ſociis Januario Epiſcopo, Proculo, Soſio, Fauſto, Deſiderio, & Acutione, die 21. Aprilis; quorum tam in Martyr. Romano, quam in Baſilii Menologio fit commemoratio die 19. Septembris.

V. *Eutychius* Martyr Melitinæ, 28. Maji, quem Galeſinius, & Ferrarius *Epiſcopum* vocant, & Gordiano imperante coronam Martyrii accepiſſe affirmant.

VI. *Eutyches* Martyr, Diſcipulus S. Joannis Theologi,

logi, die 24. Augusti; de quo & Martyrologium Romanum, ut supra.

VII. *Eutychius* Martyr in urbe Cyzico, cum sociis Theognide, Rufo, Antipatro, Artema, Magno, Theodoto, Thaumasio, & Philemone, die 29. Aprilis: quorum fit mentio non in Menologio communi, sed in Basiliano.

VIII. *Quanam Eutychii Martyris nomen Martyrologio Rom. inscriptum, cujus B. Gregorius Papa meminit? & quo Elogio?*

VIII. Primum, ut videtur, Sancti *Eutychii* Martyris nomen, cujus B. Gregorius meminit, in Romanum Martyrologium sub Gregorio XIII. Pont. Max. illatum est, ut colligitur ex eo, quod sub eodem Pontifice *Romæ ex Typographia Dominici Basæ anno* 1583. editum fuit, ubi ad diem 15. Aprilis, qua Beatorum Martyrum Maronis, Eutychetis, & Victorini memoria in vetustissimis Martyrologiis colitur, Sanctus Eutychius noster hoc elogio ornatur: *Ferentini Sancti Eutychii Martyris*. In altera vero ipsius Martyrologii editione, quæ ejusdem Gregorii XIII. auctoritate anno sequenti, hoc est, Christi 1584. prodiit, quamque notis suis Eminentissimus Baronius anno 1585. illustratam vulgavit, nonnulla in laudato Elogio ipse Baronius, seu quisquis alius fuerit, addenda censuit: sic enim habet: *Ferentini in Hernicis Sancti Eutychii Martyris*. Addidit *in Hernicis*, ex præconcepta opinione, qua Sanctum Eutychium Martyrem Ferentini in Campania, non Ferenti in Tuscia claruisse, sive sepultum fuisse existimavit. Ibi autem de Eutychio nostro sermonem esse, idem Baronius in notis docet in hæc verba: *Quando hic passus sit, non invenimus; meminit ejus Ecclesiæ S. Gregorius Papa lib.3. Dialogorum cap.38. in Redempto Episcopo*.

Philippus Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui *in Martyrologio Romano non sunt*, edito Venetiis anno 1625., quum hinc Eutychium illum Baronii, seu Martyrologii Romani, putaret alium esse ab *Eutychio*, seu *Eutitio* Presbytero & Martyre, cujus Fe-

Festum a Ferentinatibus, Viterbiensibus, Hortanis, & Surianensibus die 15. Maji celebratur; illinc vero rem indignam censeret, tantum tamque celebrem in Tuscia Martyrem sine speciali commemoratione eo, quo Martyrii coronam adeptus est, die præterire, nomen ipsius in suum Catalogum retulit, his verbis: *Apud Surianum in Hetruria Sancti Eutitii Presbyteri, & Martyris*. Deinde in notis id se accepisse testatur *ex Tabulis Ecclesiæ Surianensis*: Additque, *De eo in passione SS. Graciliani & Felicissimæ Virginis, ac Sanctorum Valentini & Hilarii Martyrum Viterbiensium*. Demum concludit: *Extat in Hortana Diœcesi Ecclesia Sancto Eutitio dicata, quæ a finitimis populis solet in ejus die festo frequentari*. Idem Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ex monumentis Ecclesiæ Hortanæ, & Suriani, ubi is præcipue uti Tutelaris colitur, vitæ ejus compendium edidit, quod legere est apud G. Henschenium ad diem 15. Maji pag.458.

Henschenius ipse, vir in cribrandis Sanctorum actis diligentissimus, postquam vitam *S. Eutychii*, seu *Eutitii*, ex eodem Ferrario descripsit, certum esse affirmat unum, eumdemque esse Tuscorum *Eutitium*, ac *Eutychium* Sancti Gregorii Papæ. Sic enim pergit de Eutitio ipso scribere pag.459. num.5. *Insignis hujus Sancti memoria extat apud Sanctum Gregorium lib.3. Dialog. cap. 38. Redemptus Ferentinæ Civitatis Episcopus*. Reliqua, ut supra. Quibus verbis ea vir doctus emendavit, quæ Tomo 2. Aprilis, die 15. pag.378. de Eutychio Martyre *Ferentino in Hernicis*, tamquam ab hoc Eutychio Martyre *Ferentino in Tuscia* diverso, relatis iisdem S. Gregorii Papæ verbis, affirmaverat. *Nec mirum*, ut inquit Pennatius pag.259. *sapientis est enim mutare consilium*. Scripserat quippe de Sanctis Aprilis, quum nondum acta S. Eutychii vidisset. His vero inspectis, compertum exploratumque

que habuit, Gregorium Papam de eodem Eutychio agere, cujus Ecclesiam & Sepulcrum Surianenses se possidere gloriantur.

IX. *Baronius acta Eutychii Martyris Ferentini non viderat.*

IX. Idipsum, ni fallor, sensisset, idipsum scripsisset Baronius, si acta B. Eutychii inspexisset. In iis enim & locus, & dies passionis ipsius notatur: ex quibus levi negotio deprehendisset, diem decimam quintam Maji, (ut fit in Tusciæ oppidis Viterbio, Horta, & Suriano) ejus cultui assignari debuisse; non decimam quintam Aprilis, in quam ejus festum Baronius ipse, vel quicumque alius, qui Martyrologium Romanum auxit emandavitque, non alia ratione conjecit, quam ob similitudinem nominis Eutychii nostri Ferentini, & Eutychetis socii Sanctorum Martyrum Maronis, & Victorini, quorum memoria in vetustissimis Martyrologiis eadem die colebatur. Insuper pro certo habuisset, Eutychium nostrum Ferentinum, cujus Ecclesia, & Sepulcrum in crypta Surianensi exstat, eumdem esse, ac Martyrem illum, cujus B. Gregorius Papa in Redempto Episcopo meminit: ac proinde neque in Martyrologium Romanum appendicem illam invexisset, *Ferentini in Hernicis*: neque in notis dixisset: *quando hic passus sit, non invenimus*.

X. *Ex actis tamen SS. Valentini, & Hilarii, Gratiliani & Felicissimæ, quæ idẽ Baronius laudat, Eutychium Martyrem in Tuscia ponere debuerat, non in Hernicis.*

X. Atqui non ex actis solum Beati Eutychii Martyris, quæ apud Viterbienses, Hortanos, & Surianenses servabantur, hoc ipsum intelligere potuisset Baronius; sed etiam ex actis Sanctorum *Valentini & Hilarii*, & Sanctorum *Gratiliani & Felicissimæ*, si ea mature expendisset. Coluntur in Martyrologio Romano, per ipsum Baronium, sive alium quemcumque, emendato, *Gratilianus* quidem & *Felicissima* die 12. Augusti; *Valentinus* autem & *Hilarius* die 13. Novembris. Utrorumque autem res gestas præ manibus habuit idem Baronius, qui primos *Faleriæ in Tuscia*, alteros *Viterbii* passos notat: idque se *a Tabula-*

riis

riis Ecclesiæ Castellanæ, & Viterbiensis accepisse testatur. In iis vero Tabulariis diserta fit mentio Sancti *Eutychii Presbyteri & Martyris*, tamquam eorum Sanctorum æqualis, & Magistri: adeoque, si ad illa Martyrum acta attentius mentis aciem intendisset, eodem etiam tempore, quo Gratilianus, Felicissima, Valentinus, & Hilarius, Eutychium passum fuisse intellexisset: idque non Ferentini in Hernicis, sed in Tuscia contigisse.

Acta illa *Gratiliani & Felicissimæ*, quæ Baronius vidit, eumdem induxere, ut mendum, quod in priori Martyrologio irrepserat, ipse in posteriori corrigeret. Sic enim Usuardus locum passionis eorum Martyrum designavit: *Item urbe Phalari passio Gratiliani & Felicissimæ Virginis*; quæ Usuardi verba Galesinius in Martyrologio Romano, quod anno 1578. vulgavit, commentatur in hunc modum. *In Phalari urbe legit Usuardus: at scripti codices nullam mentionem faciunt loci, ubi Gracilianus & Felicissima martyrium obierint*. Ideoque legendum censet in suo Martyrologio: *Faleriæ Sanctorum Martyrum Graciliani, & Felicissimæ Virginis*. Et in notationibus ad diem 12. Augusti: *Faleriæ*, inquit, *quæ urbs Faliscorum est in Regione Tusciæ mediterranea*. At Martyrologium Romanum jussu Gregorii XIII. anno 1583. vulgatum, Usuardi verbis adjunxit: *Falari in Piceno*. Quam appendicem emendavit Baronius in altero Martyrologio Romano, quod ejusdem Gregorii jussu anno 1584. prodiit: *Faleriæ in Tuscia*: & in notis ad hunc diem: *Quoniam apud Usuardum, & nonnullos alios manuscriptos* Falari *legebatur, loco* Faleriæ; *idcirco & irrepsit error, ut* Falari in Piceno *legeretur; nam Falaris est civitas in Piceno jam pene diruta, vulgo dicta* Falarone. Rationemque reddit, cur *Faleriæ in Tuscia* legendum sit, non *Falari in Piceno*. *At vero*, inquit, *non Falari, sed Faleriæ esse legendum, vetera*

ra monumenta Ecclesiæ civitatis Castellanæ, ubi horum Sanctorum sacra corpora asservantur, & digno honore coluntur (posita sunt enim in Ecclesia Cathedrali) nos adeo certiores reddiderunt, ut nullus prorsus remaneat dubitandi locus.

XI. *Quemadmodũ Baronius nonnulla correxit in duabus prioribus Martyrologii Romani editionibus, quæ sub Greg. XIII. prodierant: ita in tertia ejusdẽ Martyrologii editione Eutychium Martyrem Ferentinũ in Tuscia dixisset, non in Hernicis.*

XI. Quod Baronius de *Faleria Tusciæ* in locum *Falaris in Piceno* substituenda, actorum Gratiliani & Felicissimæ auctoritate motus judicavit, huic contrarium accidit, dum in posteriori Martyrologio locum passionis S. Eutychii Martyris exprimere voluit. Nam in Martyrologio anni 1583., ut supra diximus, absolute legebatur; *Ferentini S. Eutychii Martyris*. In altero vero anni 1584. (de quo idem Baronius cap. 8. circa finem: *Tertia editio purior est, atque sincerior, facta anno Domini* 1584., *illi enim tantum, ut legitimæ, atque germanæ, accesserunt Literæ Apostolicæ datæ die* 14. *Januarii, eodem anno: cui etsi ex nostris notationibus levis certe aliqua accessit emendatio, vel si quid additum reperitur (quod quidem perraro factum invenies) id nos ejus, cujus summa est in Ecclesia auctoritas, constanti voluntate fecisse, lector intelligat:*) In altero, inquam, Martyrologio anni 1584. additur, *Ferentini in Hernicis*. Prioris Martyrologii editionem tamquam mendosam rejicit Gregorius XIII., & alteram veluti sinceram commendat: *Romanum* (1) *Martyrologium*, (inquit) *nonnullis in locis Librariorum, Typographorumque negligentia mendosum per viros eruditos ad fidem historiæ, quæ rerum gestarum, personarum, locorum, temporum veritate continetur, adhibitis etiam codicibus vetustioribus, atque emendatioribus, corrigi, correctumque, & multis in locis auctum edi curavimus*. Eadem de utriusque Martyrologii editione est Baronii sententia loc. cit. *De quo etiam illud necessario*

(1) In Literis Apostolicis Romano Martyrologio præfixis, *Dat. die* 14. *Januar.* 1584.

rio lectorem monendum putamus, Romani Martyrologii triplicem hactenus in Urbe esse factam editionem, ejusque primam, & secundam esse mendosam, nec satis dignam, quæ iterum prælo tradatur: quod cujus culpa acciderit, libentius silentio præterimus. Nonnulla tamen in tertia Martyrologii editione, ut omnes norunt, oculatissimi licet viri diligentiam fugerunt, quæ ipse certissime emendasset, non secus atque in binas priores editiones animadverterat, si codices vetustos, atque emendatos adhibuisset. Correxit ille, *Falari in Piceno*, quod in priorem editionem irrepserat: correxisset utique, *Ferentini in Hernicis*, quod in tertiam editionem invectum est; vel saltem illud ita scriptum reliquisset, *Ferentini*, quemadmodum in priori fuerat, si acta S. Eutychii habuisset, aut si attentius gesta SS. Gratiliani & Felicissimæ, Valentini, & Hilarii expendisset, qui non in Campania, sed in Tuscia claruere.

XII. *Unum Eutychium Martyrem Ferentinũ esse, & hunc non in Hernicis, sed in Tuscia.*

XII. Hæc de Baronio Ecclesiasticæ historiæ parente prælibanda fuerunt, ne quis tanti viri auctoritate præoccupatus, in ipso hujusce dissertationis limine nobis objiceret, cur ab illius sententia recedendum nobis esse existimemus, qui & diem decimumquintum Aprilis Sancto Eutychio assignavit, eumque Ferentini in Hernicis, non in Tuscia posuit, eumdemque demum esse judicavit, cujus B. Gregorius Papa mentionem facit? Id certe Ferrarius non est ausus, tametsi Eutychium Martyrem Ferentini in Tuscia insignem agnovit, nomenque ipsius in suo Martyrologio die 15. Maji, qua palmam martyrii est consequutus, recensuit: aut enim putavit, duos esse Eutychios, alterum, qui in Martyrologio Romano die 15. Aprilis inscriptus est, quique, Baronio teste, Ferentini in Hernicis, juxta B. Gregorium Papam, Sepulcrum, & Ecclesiam habuit: alterum, quem ipse Ferrarius Ferentini in Tuscia claruisse, & in crypta Surianensi sepultum, ex

Tabulis Viterbienſibus, & Hortanis deprehenderat: aut, ſi unum dumtaxat Eutychium credidit, de quo & Gregorius Pontifex, & Tabulæ Eccleſiarum Tuſciæ; Baronii tamen teſtimonium reveritus, quæſtionem hanc aliis examinandam reliquit. Nos vero, quibus acta Eutychii Martyris videre licuit, quemadmodum Eutychium unum agnoſcimus, ita illum in Tuſcia, non in Hernicis, ſepulturam, templum que habuiſſe, & adhuc habere, non contemnendis, ut mox patebit, rationibus ducti affirmamus.

Ut autem ſingula ordine procedant, primum de Ferentina civitate, ejuſque Epiſcopis Bonifacio, ac Redempto diſſerendum erit. Deinde, quiſnam Eutychius ille Martyr fuerit? an unus idemque cum aliquo ex ſupra recenſitis ejuſdem nominis Martyribus? an ab omnibus diverſus? Demum in qua Ferentina Diœceſi reconditus? in Campania, an in Etruria?



CAPUT I.

De Ferentinis Italiæ locis.

I.  Uatuor apud Geographos reperio oppida, quibus *Ferentini* nomen impoſitum. Primum in Apulia: alterum, ac tertium in Latio. Quartum in Tuſcia, ſive Etruria. His addunt nonnulli quintam Ferentinam gentem inter Marrucinos, & Apulos, quæ tamen rectius *Frentana* appellatur, ut mox patebit. Cruquius in Horatium tria loca *Ferentinum* dicta putat: I. in Latio 48. mill. paſſ. ab Urbe in via Lavicana. II. in Campania. III. in Etruria. Verum quod Ferentinum Campaniæ dicitur, illud ipſum puto Apuliæ Ferentum, ſive Forentum: nam aliud in Campania Ferentinum, præter id, quod primo loco Cruquius in Latio poſuerat, nuſpiam reperire eſt, ut ſuo loco oſtendam. Pennatius in vita S. Eutychii pag. 253. & alii communiter, tria tantum loca notant, quæ Ferentina dicuntur. *Animadvertendum eſt*, inquit, *cum Leandro Alberto de Italia fol.*47. *tres aſſimiles nomine Civitates reperiri. Prima eſt Civitas noſtra Ferentum in Etruria: ſecunda Ferentinum in Latio: tertia Frentenum in Apulia*. Quartum tamen oppidum in Latio ad radices montis Albani inter Tuſculum, & Albam, Ferentinum & ipſum dictum, agnoſcunt, & ex antiquis monumentis demonſtrant Cluverius in lib. de Italia antiqua, & doctus antiquitatum Italiæ illuſtrator Vulpius in Latio vetere, quemadmodum infra ſermo erit.

I. *Quatuor loca Italiæ,* Ferentina *dicta*.

II. Pri-

II.
Ferentum, & Ferentani *in Apulia.*
Alias Forentum, & Forentini.

II. Primum itaque illud Apuliæ oppidum, de quo paulo ante dicebam, *Ferentum*, & *Forentum* vocari Auctores tradunt. Acron ad hunc Horatii locum:

. . . . quicumque
Saltusque Bantinos, & arvum
Pingue tenent humilis Ferenti:

Ferentum, inquit, *oppidum est Apuliæ, Venusinæ civitati vicinum, in valle situm.* Diodorus Siculus lib. XIX. cap. LXV. *Ferentum* appellat: Ρωμαῖοι διαπολεμοῦντες Σαμνίταις, Φερέντην, πόλιν Ἀπουλίας, κατὰ κράτος εἷλον, *Romani cum Samnitibus bellum gerentes, Ferentem Apuliæ urbem vi ceperunt.* Latinus Diodori interpres *Ferentum* vertit. Hinc populi *Ferentani* Livio lib. IX. cap. XVI. *Æmilius cum Ferentanis uno secundo prælio debellavit; Urbemque ipsam, obsidibus imperatis, in deditionem accepit.* At Plinius lib. 3. cap. 5. *Forentanos* vocat: *Fregellani, Foroappi, Forentani.* Stephanus quoque *Forentanum* habet oppidum: Φορεντανὸν πόλις Ἰταλίας, τὸ ἐθνικὸν, Φορεντανός. Στράβων πέμπτῃ: *Forentanum, urbs Itatiæ. Gentile, Forentanus. Strabo quinta.* Quam tamen pericopen in manuscriptis codicibus esse negat Salmasius: neque enim Strabo *Forentanos Apuliæ libro quinto* commemorat; sed *Frentanos* Samniticam gentem, edit. Amstælodam. anni 1707. pag. 369. & 370. *Supra Picenum sunt Vestini, Marsi, Peligni, Marucini,* Φρεντανοὶ, *Frentani, Samnitica gens.* Et infra: *Post Aternum Orton est* ἐπίνειον Φρεντανῶν, *Frentanorum navale, & Buca ipsa, etiam Frentanorum, ac superne Apulos tangens est* ἐν τοῖς Φρεντανοῖς, *in Frentanis Ortium, saxa a prædonibus infessa.* Et paucis interjectis. *Inter Ortonem, & Aternum Sagrus fluvius labens* ὁρίζων τοὺς Φρεντανοὺς ἀπὸ τῶν Πελιγνῶν, *Frentanos a Pelignis dividit.* Denique: *deinceps post Latium Campania est juxta mare porrecta, & supra hanc in mediterraneis Samnium usque ad Frentanos, & Daunios pertinens,* μέχρι Φρεντανῶν, καὶ

τῶν

τῶν Δαυνίων. Idem Strabo paulo superius *Daunios* a Græcis dici affirmat, quos Latini *Apulos* vocant: ὁ δὲ παράπλους ἀπὸ τῆς Πικεντίνης ἐπὶ τοὺς Ἀπούλους, οὓς οἱ Ἕλληνες Δαυνίους καλοῦσι: *Navigatio secundum litus a Piceno usque ad Apulos, quos Daunios Græci dicunt*. Nulla, ut vides, *Ferentinorum Apuliæ* apud Strabonem mentio, sed *Frentanorum*, Samniticæ gentis, inter Marrucinos, & Apulos positæ, *quæ terminos habuit* (Cluverio teste lib.4. Ital. antiq. pag.1206.) *ab meridie Frentonem amnem* (unde Frentani fortasse dicti): *ab ortu æstivo mare superum: ab occasu, Forum amnem, ad fontem usque: ab occasu hiberno, lineam a dicto fonte ad Frentonis ripam, quæ est medio itinere inter oppida Serra, Capriola, & Tragouara, ductam*. Scio gentis hujus Samniticæ nomen in multis Auctorum exemplaribus in *Ferentanos* corruptum fuisse: sic enim nonnulli Ciceronem pro A. Cluentio cap.69. perorantem inducunt. *Adsunt Ferentani homines nobilissimi, Marrucini item pari dignitate*: quæ quidem lectio a viro clar. Casaubono probatur, citaturque in notis ad novissimam Strabonis editionem pag.370. Plinius sibi non constat; siquidem in textum nullus error obrepserit; nam lib.3. cap.5. *Ferentanos* vocat: *Volscorum postea litus, & Campaniæ: Picentinum inde, ac Lucanum, Brutiumque: ab eo Græciæ ora, mox Salentini, Pediculi, Peligni, Ferentani, Marrucini, Vestini, Sabini, Picentes, Galli, Umbri, Thusci*. Eodem vero lib.3. cap.11. & 12. eosdem populos *Frentanos*, regionemque *Frentanam* appellat: *Flumen portuosum Frento, Teanum Apulorum, itemque Larinum, Cliternia, Tifernus amnis. Inde regio Frentana*. & paulo post: *Larinates cognomine Frentani .... In ora Frentanorum a Tiferno flumine Trivium portuosum ..... Intus Anxani cognomine Frentani*. Hæc Plinius. Ptolæmeus quoque lib.3. cap.1. *Frentanos* dicit: Φρεντανῶν μεσόγειοι, Ἄγξανον, Λάρινον: *Frentanorum mediterraneæ urbes, Anxanum, Larinum*,

num . Stephanus tamen Byzantius *Ferentinos* dictos censet ab urbe *Ferentino* in Samnio . Verba ejus hæc sunt . Φερεντῖνος πόλις Σαυνιτῶν ἐν Ἰταλίᾳ. τὸ ἐθνικὸν, Φερεντηνός. Λέγεται καὶ Φερέντιος, ὡς Διονύσιος ιζ τῆς Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας : *Ferentinus*, *urbs Saunitarum in Italia* . *Gentile*, *Ferentenus*; *dicitur etiam Ferentius*, *ut Dionysius septimo decimo Romanæ antiquitatis* . Hoc quidem Stephani testimonium, quo *Frentani* populi inter Marrucinos, & Apulos positi, clare designantur, Cluverius lib. *3*. Ital. antiq. pag. *983*. ad *Ferentinum* Hernicorum oppidum trahit; *eo quod*, ut inquit, *Samnites tunc omnem hanc* (Latii) *oram occupaverunt*, *pulso inde per bellum Romanorum Imperio* . Sed vim verbis Stephani manifeste infert : nam eadem hic sunt *de Ferentinis Samnitica gente* Stephani, ac Strabonis verba : constat autem ex dictis, Strabonem non de Ferentino Campaniæ, seu Hernicorum oppido loqui, sed de populis inter Marrucinos, & Apulos positis, quos *Frentanos* vulgo appellamus . Ad hæc, quum Stephanus Dionysium Halicarnassæum laudet *libro decimo septimo Romanarum antiquitatum* de Ferentino oppido, ejusque incolis loquentem, quumque e xx. libris, quos ille usque ad primum bellum Punicum pertexuit, soli undecim priores supersint, nescio unde sententiam suam Cluverius confirmare possit, dum ait, Dionysii dictum non de Frentanis Samnitica gente, sed de Hernicis Ferentinis ibi esse intelligendum .

IV. *Ferentinum ad radices Albani montis* . *Alias* Lucus Ferentinæ, & caput Ferentinæ : *idest Aquæ* .

IV. Alter in Latio *Ferentinus* locus apud Livium & Dionysium non semel memoratus, duodecim fere ab Urbe milliaribus distans, in radicibus Albani montis situs, ubi nunc est oppidum vulgari vocabulo *Marino* dictum . Fons ibi conspicitur in nemorosa valle, qui olim Romanis appellabatur *caput aquæ Ferentinæ*, cui numen etiam, & cultus divinus tributus fuit; unde *Lucus Ferentinus* dicebatur ipsum nemus Fonti circumsitum, & absolute *Ferentinum* . Dionysius Halicarnas-

nassensis (1) lib.3. pag.175. de bello, quod Romanis sub Tullo cum Latinis intercessit: αἱ δὲ τῶν Λατίνων πόλεις ἰδίᾳ μὲν ὐδὲν ἀπεκρίναντο πρὸς τὺς πρέσβεις, κοινῇ δὲ τῦ ἔθνυς ἀγορὰν ἐν φερεντίῳ ποιησάμενοι, Ψηφίζονται μὴ παραχωρεῖν Ῥωμαίοις τῆς ἀρχῆς: *Legatis a nulla Latinorum civitate privatim quidquam responsum est: sed indicto Ferentinum publico gentis concilio decernunt, Imperio Romanis haud cedendum esse*. Et eodem libro pag.188. de Tarquinio; ἐφ' οἷς ταραχθέντες οἱ λοιποὶ Λατῖνοι, καὶ δείσαντες μὴ πᾶν ὑφ' ἑαυτῦ ποιήσεται ἔθνος, εἰς τὴν ἐν Φερεντίῳ συνελθόντες ἀγορὰν, ἐψηφίσαντο τήν τε οἰκείαν δύναμιν ἐξ ἁπάσης τῆς πόλεως ἐξάγειν, καὶ τῶν πλησιοχώρων ἐθνῶν τὰ κράτιστα παρακαλεῖν: *Terruit hoc Latinos, verentes, ne universam Gentem suæ ditioni subjiceret Tarquinius. Ergo in Ferentium conventu indicto, decretum est, delectus oppidatim habendos esse, & ciendas ad arma fortissimas propinquarum gentium*. Idem lib. 4. pag.247. γνὺς δὲ ταῦτα, προεῖπε δι' ἀγγέλων ἥκειν εἰς τὴν ἐν φερεντίνῳ γενομένην ἀγορὰν τὺς εἰωθότας ὑπὲρ τῦ κοινῦ τῶν Λατίνων συνεδρεύειν: *Hisque animo decretis*, Tarquinius *per nuncios indixit, ut qui Latinæ Reipublicæ nomine in Ferentinum concilium solerent convenire, adessent*. Et lib. 5. pagin.316. καὶ γίνεται κοινὴ τῶν συναγομένων εἰς φερεντῖνον ἀγορὰ, πλὴν μιᾶς τῆς ῥωμαίων πόλεως: *coiveruntque ad Ferentinum in commune concilium omnes, præter unam Romanorum urbem*; & paucis interjectis pag.326. συναχθείσης δὲ ἀγορᾶς ἐν φερεντίνῳ, πολλὴν ἐποιῦντο τῶν ἀποσκευδόντων τὸν πόλεμον κατηγορίαν οἱ τὰ ὅπλα πείθοντες ἀναλαβεῖν: *Concilio ad Ferentinum coacto, belli hortatores multis verbis in armorum dissuasores invecti sunt*. Quæ Dionysii loca si cum Liviana historia conferantur, certo certius colligitur eum Auctorem non de alio *Ferentino* loqui, quam de Luco, quem *Ferentinæ* vocant.

(1) Edit. Francofurt 1586. opera ac studio Frederici Sylburgii.

cant. Livius lib.1. de Tarquinio Superbo Romanorum Rege: *jam magna Tarquinii auctoritas inter Latinos proceres erat, quum in diem certam, ut ad Lucum Ferentinæ conveniant, indicit.* Et postea. *Injectæ Turno catenæ, & confestim Latinorum concilium magno cum tumultu advocatur. Ibi tam atrox invidia orta est, gladiis in medio positis, ut, indicta causa, novo genere lethi, dejectus ad caput aquæ Ferentinæ, crate superne injecta, saxisque congestis, mergeretur.* Idem eodem libro 1. *Ita renovatum fœdus, indictumque junioribus Latinorum, ut ex fœdere die certa ad Lucum Ferentinæ armati frequentes adessent.* Et lib.2. ubi Volsci ex Urbe exire jubentur; *quum propè continuato agmine irent, prægressus Tullius ad caput Ferentinum, ut quisque veniret, primores eorum excipiens querendo, indignandoque, & eos ipsos sedulo audientes secunda iræ verba; per eos multitudinem aliam in subjectum viæ campum deduxit.* Denique lib.7. *Inter hos longe maximus extitit terror, concilia populorum Latinorum ad Lucum Ferentinæ habita.* Ex his igitur patet, Lucum illum fuisse comitiis Latinorum habendis destinatum; eumdemque dictum fuisse *Ferentium*, & *Ferentinum*, ut simpliciter appellat Dionysius: & *caput Ferentinum*, *Caput aquæ Ferentinæ*, seu *Lucum Ferentinæ*, ut vocat Livius, scilicet Deæ Ferentinæ, cujus apud fontem, & Lucum, & Templum fuisse, verosimile est. Sylburgius in Dionysii lib.3. pag.175. & 188., quod φερέντιον Dionysius scribit, ipse vertit *Ferentinum*; additque de suo, *oppidum Ferentinum*: εἰς τὴν ἐν φερεντίῳ συνελθόντες ἀγοράν: *In oppidum Ferentinum conventu indicto*: quum tamen Dionysius simpliciter habeat, *in Ferentino convenientes*. Cluverius quoque in Ital. antiq. lib.2. pag.319. in margine *Lucum Ferentinæ oppidum* esse notat; eosque citat Auctores, quos supra laudavi: qui tamen auctores nusquam affirmant, ibi oppidum fuisse, cui *Ferentio*, seu

Fe-

Ferentino nomen fuerit. Sylburgii, & Cluverii ſententiam ego quoque libenter amplector, ut exiſtimem ibi oppidum fuiſſe, cui *Ferentino* ſit nomen impoſitum: *Hinc enim caput aquæ Ferentinæ factum eſt oppidum Ferentinæ, ſive Ferentinum, quod crebræ inter eos mercatores (qui ad Forum illud convenire ſolebant) de commerciis ac mercimoniis lites inciderent; Magiſtratus autem aliquis ad eas decidendas a Republica Latinorum fuit conſtitutus, qui ad Ferentinæ aquæ caput jus diceret. Ex quo Forum Ferentinæ factum eſt. Fora enim antiquitus ea proprie loca dicta ſunt, in quibus Prætor aliquis, aut ex reliquis Magiſtratibus alius quiſpiam, publice jus dicebat*. Quæ ſunt ex clar. Joſepho Roccho Vulpio tom.7. de vetere Latio pag.51. exſcripta. Sed nego a citatis Auctoribus Dionyſio, & Livio locum illum uſquam *Forum* aut *Oppidum* vocatum fuiſſe. Denique ibi Lucum illum fuiſſe, ubi a nobis ex Cluverio poſitus eſt, conſtat ex hiſce Pompeji Feſti verbis: *Albanos rerum potitos uſque ad Tullum Regem. Alba deinde diruta uſque ad M. Valerium Maximum, & P. Decium Murem Conſules, populos Latinos ad caput Ferentinæ, quod eſt ſub monte Albano, conſulere ſolitos, & imperium communi conſilio adminiſtrare*.

V. Tertius in Latio quoque *Ferentinus* locus, abeſt ab Urbe ad XLVIII. lapidem: *Ferentinum oppidum* audit, Græcis, Latiniſque Scriptoribus memoratum. Ptolemæus: φρȣσινὼν, φερεντῖνον, *Fruſino*, *Ferentinum*. Strabo lib.5. pag.362. εἶθ' ἑξῆς μὲν ἐπ' αὐτῆς τῆς λατίνης, ἐπίσημοι κατοικίαι, καὶ πόλεις, φερέντιον, φορȣσινον, παρ' ἣν ὁ κόσας ῥεῖ ποταμός: *Deinceps in eadem Latina via ſunt nobilia oppida, ac urbes, Ferentium, Fruſinum, quod Coſa amni alluitur*. Ferentium habet Strabo, quod Latinus Interpres *Ferentinum* vertit. Hinc in Lexico geographico Martinierii, *Ferentinum*, ſeu *Ferentium* in Latio vocatur. Ab initio Volſcorum oppidum fuit:

V. Ferentinum *in Latio, Campania ſeu Hernicis oppidum. Populi* Ferentini, Ferentinates, Ferentinenſes, Ferentanenſes,

postea Hernicorum. Livius lib.4. *Eodem anno adversus Volscos, populantes Hernicorum fines, legiones ductæ a Furio Consule; quum hostem ibi non invenissent, Ferentinum, quo magna multitudo Volscorum se contulerat, cepere; minus prædæ, quam speraverant, fuit; quod Volsci, postquam spes tuendi exigua erat, sublatis rebus nocte oppidum reliquerunt: postero die prope desertum capitur, Hernicis ipse ager dono datus.* Quamobrem ita de Romanis queruntur Volsci: *nec ipsos modo Romanos sua divisa habere, sed Ferentinum etiam de se captum Hernicis donasse.* Idem Livius Coloniam a Romanis in agrum Ferentinum deductam tradit lib.35. *Eodem anno* (h. e. Urbis 569. quo Consules fuere L. Cornelius Merula, & Q. Minucius Thermus) *Coloniam Latinam in agrum Ferentinum Triumviri deduxerunt, Cn. Manlius Volso, L. Apustius Fullo, P. Ælius Tubero; cujus lege deducebantur tria millia peditum fere, CCCC. equites: numerus exiguus pro copia agri, dari potuere tricena jugera in pedites, sexagena in equites, Apustio auctore tertia pars agri dempta est, quo postea, si vellent, novos Colonos adscribere possent.* De anno autem antecedenti, quo Consules fuere P. Cornelius Scipio Africanus iterum, & Titus Sempronius Longus, sic loquitur lib.34. *Novum jus eo anno a Ferentinatibus tentatum, ut Latini, qui in Coloniam Romanam nomina dedissent, Cives Romani essent.* Ex duobus hisce Livii locis inter se comparatis, colligit Cluverius, alios esse *Ferentinos*, qui lib.35. memorantur, a *Ferentinatibus*, quorum lib. 34. fit mentio; hos Ferentini in Latio, illos Ferentii in Tuscia incolas esse; ac proinde diversis utrosque nominibus appellari, *Ferentinos* nimirum Etruriæ, & *Ferentinates* Hernicorum in Latio. Heic, anno Urbis 559., Scipione Africano, ac Tito Sempronio Consulibus, Coloniam jam tum fuisse; illuc insequenti anno, L. Cornelio Merula, & Q. Minucio Thermo Consulibus, Coloniam dedu-

deductam: idque lege Ælia, nimirum per Triumviros, P. Ælium Tuberonem, L. Apustium Fullonem, & Cn. Manlium Volsonem. At vero Ughellus utrumque Latii locum de Ferentino Hernicorum oppido intelligit: sic enim ait Tom.I. Ital. Sacræ pag.720. *Horum* (ideſt Ferentinorum in Latio, seu in Hernicis) *origo adeo perantiqua est, ut nobiliorum Scriptorum etiam diluta industria, solum constat in iis populis haud postremos fuisse, qui in Romanam nascentem adhuc felicitatem, incurrere non dubitaverint, quin Ferentini cum Alatrinatibus, Verulanisque, maluerunt pristinas leges sibi restitui, quam Romana Civitate donari. Oppugnati deinde, & propemodum a Romana potentia expugnati, factique consensu Ducum prædabundo militi præda, in eo infortunato conflictu tria millia suorum Civium desiderarunt: deinde, quum Ferentinam Civitatem iterum excitassent Romani, illo deduxere Coloniam anno a Roma condita 558. Consulibus Lucio Cornelio Merula, Quintoque Minutio Thermo, ut apud Livium videre est lib.35. Eodem anno* (inquit ille) *Coloniam Latinam in Agrum Ferentinum Triumviri deduxerunt*. Reliqua. Pergit Coloniam istam *lege Ælia* in Ferentinum Latii oppidum deductam, ab altera distinguens, quæ *lege Sempronia* in Etruriam deducta fuerat. *Meminit*, inquit, *alicubi Frontinus cujusdam Coloniæ per legem Semproniam in Etruriam deductæ, quam Ferentinensem appellat, ad hujus, de qua modo loquimur, differentiam. Ferentum enim, sive Ferentinum oppidum in Etruria est, jam olim excisum, a civitate Viterbiensi non procul*. Livii tamen verba adeo clara sunt de Colonia *in Ferentinum Hernicorum* oppidum ante Consulatum Scipionis Africani, ac Titi Sempronii jam deducta lib.34. loquentis, ut ad alium sensum ab Ughello, nisi vi illata, detorqueri nequeant. Ait enim Livius: *Novum jus eo anno a Ferentinatibus tentatum, ut Latini, qui in Coloniam Ro-*

Romanam nomina dediſſent, Cives Romani eſſent. Jam igitur Latini, quos inter & ipſi *Ferentinates* cenſebantur, in Coloniam Romanam nomina dederant, nec tamen eo nomine contenti erant, ſed ulterius progreſſi, tentabant novum jus, ut ſcilicet *Cives Romani eſſent*: quis enim neſcit, Romanam Civitatem majus eſſe privilegium, quam Coloniam? Si autem Colonia in Ferentinatem Civitatem jam deducta fuerat Conſulibus Scipione Africano, ac Tito Sempronio; illa igitur quæ anno inſequenti in agrum Ferentinum a Triumviris lege Ælia deducta eſt, alio loco, atque regione fuit, ut optime obſervat Cluverius: nimirum in Ferentinum Tuſciæ oppidum. Quod autem Frontinus in illud ipſum Tuſcorum oppidum deductam Coloniam lege Sempronia affirmat, vel ſtatuendum eſt, diverſis temporibus duas diverſas in Etruriæ Ferentium deductas fuiſſe Colonias, alteram *Ælia lege*, alteram *Sempronia*: vel dicendum, in Frontino mendum irrepſiſſe, pro lege Ælia Semproniam obtrudente. Sempronio enim, ac Scipione Conſulibus, quemadmodum ex Livio conſtat, nulla in Ferentinum, ſive Tuſciæ, ſive Hernicorum oppidum, deducta eſt Colonia; ſed Ferentinates novum jus tentarunt, ut Latini, qui in Coloniam Romanam nomina dediſſent, Cives Romani eſſent: tentarunt, inquam, ſed non aſſequuti ſunt.

Ad Ughellum regredior. Ferentinorum ait mentionem ab Halicarnaſſæo fieri, quum lib.3. narrat, *ad Ferentinum Forum contra Romanos conſpirationem valuiſſe*. Idem ſupra dixerat, a Livio narrari, Tullum Hoſtilium Romanorum Regem, jam inde a gliſcente Romana potentia ad caput Ferentinorum populorum duxiſſe, ac vi, armiſque dominium Ferentinum cepiſſe. Verum allucinatur vir doctus; neque enim Halicarnaſſæus, neque Livius locis citatis Ferentinates, Hernicos populos, deſignant; ſed loquun-

tur

tur de loco illo, cui nomen *Caput Ferentinæ* ad radices Albani montis posito, de quo supra diximus.

Ab Hernicorum Ferentino, oppidanos appellatos fuisse *Ferentinates*, patet ex his Livii verbis lib.IX. cap.XLII. *Id ægre passi Hernici, concilium populorum omnium habentibus Anagninis, in circo, quem maritimum vocant, præter Alatrinatem, Ferentinatemque, & Verulanum, omnes Hernici nominis, populo Romano bellum indixerunt.* & capite XLIII. *Hernicorum tribus populis, Alatrinati, Verulano, Ferentinati, suæ leges redditæ.* Ipse Livius etiam lib. XXVI. scripserat: *Hannibal infestius perpopulato agro Fregellano, per Frusinatem, Ferentinatemque, & Anagninum agrum in Labicanum venit.* Tandem Plinius lib.3. cap.5. *Ex Falerno Frusinates, Ferentinates, Freginates*, & cæteri. Hos populos idem Plinius paulo superius *ex agro Latino, item Hernico, item Labicano cognominatos* dixerat. Unde vetus commentator in illud Horatii lib.1. epist.17. *Ferentinum ire jubebo*; duplex Ferentinum distinguit, aliud in Tuscia, de quo postea, & aliud in via Labicana. *Ferentinum: alii municipium volunt viæ Labicanæ ad XLVIII. lapidem: alii Ferentinum, quod est in Tuscis.* Antoninus in via Lavicana *Ferentinum, Frusinone VII. millibus* distinguit. Cluverius lib.3. pag.983. notat, Poetis usitatissimum esse, ipsis oppidorum vocabulis appellare oppidanos: poeticam enim derivationem hanc *Ferentinorum* ab oppido Ferentino apud Silium lib.VIII.

Sylla Ferentinos, Privernatumque maniplos
Ducebat.

Verum in subscriptionibus Conciliorum, & in Notitiis Episcopatuum non solum *Ferentinates*, sed etiam *Ferentini*, & *Ferentinenses* dicuntur. Quid? quod Julius Obsequens in lib. de prodigiis, *Agrum Ferentinum* vocat. Verba ejus hæc sunt: *P. Africano, Cn. Fulvio Consulibus in Agro Ferentino Androgynus*

na-

natus, *& in flumen dejectus*. Scio hoc Obſequentis teſtimonium a Cluverio ad oppidum Etruriæ Ferentium, ſeu Ferentum, libentius trahi: ac Tiberim fluvium intelligi, in quem Androgynus ille ſit dejectus: nihil tamen videtur obſtare, quin iis verbis Ferentinum Hernicorum deſignetur, quod a Coſa amne non longe diſtat. Petrus Galeſinius in notis ad pridie Nonas Maji pag.103. viam Latinam docet, & Valeriam, & *Ferentinam* vocari. Hoc ſi verum eſſet (non enim apud veteres nomen viæ Ferentinæ occurrit) pro Lavicana dici potuit Ferentina, ſaltem in finibus Ferentini oppidi.

VI. *Epiſcopi Ferentinates in Campania.*

VI. In Ferentinorum Epiſcoporum cenſu, poſt anonymum, quem a S. Silveſtro Ferentinatibus attributum fuiſſe ſcribit, primum ponit Ughellus *Bonum*, cujus meminit Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Pelagii primi ad annum 555. deinde *S. Redemptum*, qui Juſtiniani, Juſtinique temporibus floruit, & Longobardorum irruptionem in Italiam ex divino inſtinctu prævidit, ut S. Gregorius lib.3. Dialog. cap.38. ſcribit: tertio loco, *Luminoſum*, qui Synodo Romanæ ſub eodem S. Gregorio anno 591. celebratæ interfuit: huic ſucceſſiſſe ait *Agnellum*, qui alteri Synodo ſub eodem Gregorio anno 601. ſubſcripſit. Demum ſequentes Epiſcopos recenſet; *Agnellum ſecundum* ſub Gregorio ſecundo anno 721. *Stephanum* anno 771., *Hadrianum* anno 853., *Joannem* anno 871. *Stephanum* anno 879., *Romanum* anno 963., & *Dominicum* anno 993. Reliquos. Verum & mancus eſt, & redundat hic Epiſcoporum Catalogus. Mancus quidem, ac mutilus: nam ex iis, quæ ſuperſunt, Synodicis Patrum ſubſcriptionibus habemus *Maximinum* Ferentini in Latio Epiſcopum ſub Felice III. in Synodo Romana anno 487., & *Bonitum* ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopum ſub S. Martino in Synodo Lateranenſi anno 649. diverſum ab alio *Bonito* Ferentis Polymartiæ Antiſtite. Redundat vero

tum

tum quia *Agnellum* sub S. Gregorio Magno in Synodo Romana anni 601. recenset, qui Terracinæ, non Ferentini Episcopus fuit, ut mox ostendam, quum de Ferentinis in Etruria Episcopis sermo erit: tum quia *S. Redemptum* inter Ferentinates Hernicorum Præsules enumerat, quem in Tuscia Ferentinum fuisse Episcopum suo loco demonstrabitur. Holstenius in notis ad Geographiam Sacram Caroli a S. Paulo pag. 47. Ferentinum in Tuscia Episcopum facit *Adrianum*, qui Concilio Leonis IV. interfuit: errore manifesto; hic enim ab Ughello inter Ferentinates in Hernicis recte numeratur, ut infra patebit. Qui Lateranense Stephani III. Concilium anni 769. edidit vir amicissimus, deque sacra antiquitate bene meritus Cajetanus Cenni, in notis ad idem Concilium pag. 106. hæc habet verba: *Ughellus post Stephanum a Baronio relatum in subscriptionibus Constituti Pauli I. descendit ad Adrianum, qui Leonis IV. Concilio subscripsit. Quare noster Sergius successor Stephani dici potest in Cathedra Ferentina.* nam ei Synodo subscribunt *Maurinus Episcopus Polymartii*, idest Ferentis in Tuscia, *& Sergius Episcopus Ferentini* in Hernicis. Imo *antecessor Stephani*, non *successor* dicendus est Sergius: hic enim Ferentinam regebat Ecclesiam anno 769., quo Lateranensis Synodus sub Stephano III. habita fuit; at vero Stephanus Constituto Pauli I. subscripsit in Synodo, quæ duobus post annis, hoc est, anno 771. celebrata est.

VII. Ferentis, Ferentia, Ferentinum, *Tusciæ oppidum. Recentioribus* Ferentum.

VII. Quartum, & postremum in Tuscia, sive Etruria oppidum *Ferentinum*, illud est, cujus gratia de reliquis Ferentinis locis hactenus disseruimus. Patria fuit majorum Othonis Imperatoris, id testante Suetonio in Othone cap. I. *Majores Othonis orti sunt oppido Ferentino, familia vetere & honorata, atque ex principibus Etruriæ.* Sextus Aurelius Victor in eodem Othone: *Otho splendidis ortus majoribus ex oppido Ferentino.* Plinius lib. 3. cap. 5. De Tuscis populis loquens, illud inter

inter Fesulas, & Fescenniam locat, his verbis: *Clusini novi: Clusini veteres: Fluentini præfluenti Arno appositi: Fesulæ; Ferentinum; Fescennia; Hortanum; Herbanum; Nepet.* Horatius lib.1. epist.17. vers.8. *Ferentinum ire jubebo*: de quo vetus quidem Scholiastes dubitat, sit ne Tusciæ oppidum, an Hernicorum: *Ferentinum: alii municipium volunt viæ Labicanæ ad XLVIII. lapidem; alii Ferentinum quod est in Tuscis.* Plures tamen de Etrusco interpretantur, teste Cluverio Italiæ antiquæ lib.2. pag. 563., & lib.3. pag.984. & Cellario Geograph.Antiq. lib.2.cap.9. pag.725. Strabo lib.5. pag.345. inter oppida Etruriæ mediterranea censet: ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ, πόλεις πρὸς ταῖς εἰρημέναις, Α'ρήτιόν τε, καὶ περȣσία, καὶ Οὐλσίνιον, καὶ Σȣτρον, πρὸς δὲ ταύταις πολίχναι συχναὶ Βλῆρα τε, καὶ φερεντῖνον, καὶ φαλέριον, καὶ φαλίσκον, καὶ νέπιτα, καὶ Στατώνια: *At in mediterraneis, præter jam dictas urbes, sunt Aretium, Perusia, Volsinium, Sutrium; tum crebra oppidula, Blera, Ferentinum, Phalerium, Phaliscum, Nepita, Statonia.* Casaubonus ad eumdem Strabonis locum notat, in manuscriptis φερεντίαν haberi, non φερεντῖνον. Item quod supra ex Plinio descripsimus *Ferentinum*, alii legunt *Ferentia*, seu *Ferentium*. Ita Joannes Jacobus Hofmannus in Lexico universali; qui tamen *Ferentinum* Tacito annal. lib.2. cap.50., ac Straboni lib.5. dictum affirmat, & populos *Ferentinos*, ex Svetonio in Salvio Othone cap.1. Certe id oppidum Ptolemæo φερεντία dicitur Geograph. lib.3. cap.1. tabula sexta Europæ: *Clusium, Vulsinium, Sudernum, Ferentia, vicus Elbii, Sutrinum, Tarquina, Blera*: cætera. Quod & Ortelius notat in Ferentino, his verbis; *Habet etiam Plinius, & Strabo Ferentinum*, φερεντῖνον; *sed in Tuscia; & Ferentia*, φερεντία, *Caio, & Ptolemæus*. Idem Ortelius de eodem Ferentino ante dixerat: *Ferentinum* φερεντῖνον, *Ptolemæo*: φορένταvον *habet Stephanus, idque ex Strabonis lib.5. ubi ego hodie* φερέντιον *lego, sine N. in ulti-*

ultima: Ferentinum tamen vertit Xylander: in Latio est. Ferentino hodie etiamnum dici, scribit Leander. Mira confusio *Ferentini Tusciæ* cum *Ferentino Latii*. De primo loquitur Strabo lib. cit. non de secundo: quod & ipse Ortelius sui immemor observat, subjungens: *Habet etiam Plinius, & Strabo* φερεντῖνον, *sed in Tuscia*. Atqui Strabo de solo Ferentino in Tuscia loquitur; nam Ferentinum in Latio idem Strabo vocat φερέντιον *Ferentium* to.1.p.362. edit. Amstælodamen. anni 1707.

VIII. A Ferentia, seu Ferentino, dicti populi *Ferentini*, & *Ferentinenses*. Frontinus in libro de Coloniis: *Colonia Ferentinensis lege Sempronia est assignata*. In editione Nansii pro Ferentinensi, corrupte haud dubie *Ferentensis*, ut notat Ortelius. Eximius sacrarum æque ac profanarum Antiquitatum illustrator Muratorius tom.2. pag. 1046. hanc inscriptionem refert: CIVIT. SPLENDIDISSIMAE FERENTINENSIUM: quæ quum exstet Viterbii, vero similius est, eam spectare ad Ferentinum Tusciæ, quam Hernicorum oppidum, quamvis ipse Muratorius satis infirmo, ut puto, argumento (nullum enim producit:) animadversionem hujusmodi subtexit: *Ferentinum in Campania Romana*. *Ferentanum* oppidum vocat Tacitus annal. lib. 15. *Scævinus pugionem Templo salutis in Etruria, sive ut alii tradidere, Fortunæ, Ferentano in oppido detraxerat*: quam vocem & Paulus Diaconus usurpat in historia Miscella lib.8. de Othonis Imperatoris majoribus: *Oppido Ferentano*. Hinc puto codicum manuscriptorum, vel impressorum vitio deceptum Baudrandium, quum de hac Etruriæ urbe dixit, *Ferentiam, Ferentium Plinio, & aliis vocari, licet alii codices Ferentinum habeant; Ferentonum autem Tacito, & Straboni*. Strabo enim, ut supra dictum est, *Ferentinum* habet, sive ex fide Casauboni *Ferentiam*: Tacitus autem *Ferentanum oppidum*, non *Ferentonum* scripsit: Plinius vero, & alii, *Ferentinum* appellant: quæ Tusciæ civitas in

VIII. *Populi* Ferentini, Ferentani, Ferentenses, Ferentinenses, & Ferentinates.

vita quidem Beati Eutitii, de qua mox ſermo erit, auctore Ferrario in catalogo Sanctorum Italiæ, *Ferentium* vocatur: *Eutitius Presbyter Ferentii*; a Sancto vero Gregorio Magno lib. 1. Dialogorum cap. 9. *Ferentis*: *Fuit*, inquit, *vir vitæ venerabilis Bonifacius nomine in ea civitate, quæ Ferentis dicitur*: & in Martyrologio Romano: *Pridie idus Maji, Ferenti in Tuſcia S. Bonifacii Epiſcopi*. Confirmat Vitruvius lib. 2. cap. 7. ubi de lapicidinis agit: *Sunt etiam lapicidinæ complures in finibus Tarquinienſium, quæ dicuntur Anicianæ; colore quidem, quemadmodum Albanæ, quarum officinæ maxime ſunt circa lacum Vulſinienſem: item præfectura Statonienſi*. & paucis interjectis: *Id autem maxime judicare licet e monumentis, quæ ſunt circa municipium Ferentis, ex his facta lapicidinis, quæ quum ſint vetuſta, ſic adparent recentia, uti ſi ſint modo facta*.

A Ferenti dicti *Ferentini*, & *Ferentinenſes*. Hoc nomen, ut ſupra vidimus, apud Frontinum exſtat in nonnullis editionibus. Illud vero habet divus Gregorius Papa loco cit. ubi Bonifacium vocat *Ferentinæ civitatis Epiſcopum*. At Sanctus Zacharias Papa, ſeu quiſquis eſt Græcus Dialogorum B. Gregorii Interpres, vertit, περὶ Βονιφατίȣ Ἐπισκόπȣ Πόλεως Φέρνης, *de Bonifacio Epiſcopo Civitatis Phernes*: & quod auctor Dialogorum latine habet, *in ea Civitate quæ Ferentis dicitur*, Interpres Græcus ſic reddit, ἐν τῇ Φερνήτῃ λεγομένῃ πόλει. *Fernem*, ſeu *Fernetem* dixit urbem, neque Græcos, neque Latinos Geographos ſequutus. Carolus a Sancto Paulo Ferentinenſem Tuſciæ Eccleſiam vocat *Ferentinatem*, ubi de Polymartano agit Epiſcopatu. Dominicus quoque Macrius in Hierolexico V. *Alba*, Bonifacium appellat *Ferentinatem* Epiſcopum. Sed hoc poſtremum nomen, niſi apud recentiores, dictum de Ferentinis Tuſciæ populis non reperitur.

IX. *An etiam dicti*

IX. Baronius in notis ad diem 14. Maji, ex hoc Divi

Divi Gregorii Papæ teſtimonio deducit, urbem illam Tuſciæ recte appellari *Ferentem*, *&* *Ferentum*; populos autem a *Ferento* Ferentanos, & a *Ferente* Ferentes. *Eſt enim*, inquit, *Ferentis, ſeu Ferentum in Tuſcia, de quo Plinius lib.3. cap.5., cujus adhuc veſtigia in agro Viterbienſi exſtare dicuntur. Eſt & Ferentinum apud Hernicos civitas nobilis, a qua Ferentinates, ſeu Ferentini, ſicut a Ferento Ferentani, vel a Ferente Ferentes: licet aliquando hæc inter ſe nomina confuſa reperiantur*. Verum ego apud antiquos Scriptores a Ferentia quidem, Ferentio, Ferentino, & Ferente dictos populos invenio *Ferentinos*, *Ferentanos*, *Ferentinenſes*, *&* *Ferentenſes*; nuſpiam tamen reperire eſt civitatem Etruriæ *Ferentum*, aut populos ejuſdem incolas *Ferentes*. Doctiſſimum virum fortaſſe decepit male intellectus, aut deſcriptus Sancti Gregorii Papæ locus lib.1. Dialog. cap.9. ubi de Gothis ad Bonifacium Epiſcopum ex urbe Ravenna reverſis, poſtquam ab eodem in urbe Ferentina vaſculum vino plenum acceperant, ſic legitur. *Ex quo illi quoaduſque Ravennam pervenirent, biberunt Gothi. Aliquantis autem diebus in eadem civitate morati ſunt, & vinum, quod a ſancto viro acceperant, quotidie in uſu habuerunt; ſicque uſque ad eumdem venerabilem Patrem Ferentis reverſi ſunt, ut nullo die ceſſarent bibere, & tamen vinum eis ex illo vaſculo nunquam deeſſet*. Baronius, eumque ſequutus Pennatius pag.253. exiſtimavit incolas Ferentinæ civitatis ibi deſignari, eoſdemque *Ferentes* a B. Gregorio dici. At Textus ibi procul dubio corruptus: vel enim legendum, *Ferentes*, ideſt, *deferentes*, *portantes*, vaſculum nimirum vino plenum, quemadmodum ſex codices manuſcriptos notant habere Maurini editores pag.190., & Græcus Interpres ſic expreſſit: ἀλλὰ καὶ ὑποστρέψαντες πρὸς αὐτὸν, ἤγαγον ἐκ τοῦ αὐτοῦ οἴνου, καθ' ἡμέραν εἰς κόρον πίνοντες, καὶ μηδέποτε ἐν τῷ αὐτῷ σκεύει ἐπιβαλόντες: *Verum ad eumdem*

Ferentes *a Ferente? ubi expenditur locus D.Gregorii Papæ.*

redeuntes, attulerunt ex eodem vino, ita singulis diebus usque ad satietatem bibentes, ut nunquam in illo vasculo deesset. Vel si ad Ferentinam civitatem Gothos rediisse auctor significat, nomen urbis non in recto casu, sed in accusativo est ponendum, sic: *ad eumdem venerabilem Patrem Ferentem*, idest, *Ferentiam, reversi sunt*; quemadmodum & Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ die 14. Maji exponit in hæc verba: *Gothis duobus Ravennam pergentibus, vasculum ligneum vino plenum dedit, quod quum vix prandio sufficere deberet, satis tamen illis non modo usque Ravennam, sed & quandiu Ravennæ morati sunt, atque in reversione Ferentium usque*. Ferentium scribit Ferrarius, non *Ferentum*: hoc enim nomen non apud veteres, sed a recentioribus usurpatum invenio de Ferentina Tusciæ civitate, ut infra dicam.

X. *De Verento, & Verentanis.*

X. Illud autem *Verentini*, quod in Italiæ antiquæ Tabulis obtrudit Del'Isle, citatque in suo geographico dictionario La Martiniere tom.4. in Ferentino, unde hauserint, non video. Corruptum certe puto, & ex Ferentino perperam *Verentinum* obrepsisse. Nam *Verentum*, & *Verentani*, qui Plinio memorantur, differunt omnino a *Ferentio*, & *Ferentinis*, seu *Ferentanis*. *Id enim oppidum* (ut inquit de Verento loquens Cluverius Ital. antiq. lib.2. pag. 516.) *haud ita procul a Visentio in meridiem versus, vulgo nunc gentilitio vocabulo dicitur Varentano, & frequentius emollita canina litera, Valentano*.

XI. *Unum Ferentinum oppidum in Tuscia; non plura.*

XI. Sicut unum in Hernicis fuit Ferentinum oppidum, ita & una in Tuscia, non plures urbes Ferentinæ dictæ. Id constat ex hactenus dictis. Lucentius tamen in notis ad Tom. 1. Ughelli, ubi de Ferentinatibus Latii agit, nescio qua ductus auctoritate, sic pronunciat; *Plures exstitisse Ferenti nomine designatas civitates in Tuscia compertum est*. Ego vero summopere optarem, ut vel unam nobis ex idoneo

Scri-

Scriptore oſtenderet Ferentinam in Tuſcia urbem, præter eam de qua loquimur.

XII. De ſtatu Ferentinæ civitatis hodierno hæc Cluverius lib.2. pag.562. *Cæterum eodem tractu inter Viterbium Flaſconemque Montem, & Vitorchianum oppida, antiqui oppidi ruinæ jacent cum Cathedrali Templo, quibus vulgare nunc vocabulum eſt Ferenti.* Baudrandius: *Ferento etiamnum urbs Etruriæ olim Epiſcopalis exciſa, cui Viterbium ad quinque millia paſſuum diſtans ſucceſſit in Epiſcopali cathedra, a Viterbienſibus anno ſalutis 1074. ob hæreſim everſa.* Quæ totidem verbis exſcripſere Bollandiani Socii Tom.3. Maji ad diem XIV. pag. 371. *Ferentum, ſeu Ferentium, aut Ferrentio, urbs fuit Etruriæ olim Epiſcopalis, cui Viterbium ad quinque millia paſſuum diſtans ſucceſſit in Epiſcopali cathedra, & quæ denique a Viterbienſibus ob hæreſim anno 1074. eſt everſa.* Ughellus Italiæ Sacræ Tom.1. pag.306. de Viterbienſibus Epiſcopis: *Crevit ſenſim hæc civitas ex ruinis antiquis Ferentii coloniæ olim Romanorum, quam Viterbienſes exciderant, ut Gothifredus Viterbienſis ſcribit in ſua Chronica. Viterbium enim confluxere exciſi Ferentii incolæ, ſenſimque id oppidum in juſtæ civitatis evaſit magnitudinem.* Quum hæc de Ferentio Ughellus ſcribat, miror, cur Ferentinæ civitatis Epiſcopos, quales ex omnium ſententia *Dionyſius* S. Eutitio æqualis, & *Bonifacius* prædictus a B. Gregorio Papa laudatus, fuere, neque inter Ferentinos, neque inter Viterbienſes, aut Hortanos recenſeat.

XII. *Status hodiernus Ferentini in Tuſcia oppidi.*

XIII. Sed quod Ughellus omiſit, hoc ſupplevit Carolus a S. Paulo in Notitia antiqua Epiſcopatuum Italiæ, ubi Provinciam Romanam deſcribens, in Tuſcia *Ferentium* ponit, ejuſque Epiſcopum Maximinum laudat in hæc verba; *Ferentium, ſeu Ptolemæo lib.3. cap.1. Ferentia, aliis Ferentinum, vulgo* Ferento. *Maximinus hujus Epiſcopus ſubſcripſit Concilio Romano ſub Felice.*

XIII. *De Antiquis Ferentinis Tuſciæ Epiſcopis.*

lice. Huic sedi Viterbiensis successit teste Ferrario anno 1074. *quum ob hæresim eversa est*. Hæc Carolus. Verum cl. Lucas Holstenius Ferentinam quidem urbem Episcopis claruisse affirmat; sed Maximinum Ferentini in Latio, non Ferentii in Tuscia fuisse Præsulem. Sic enim Ughellum commentatur. *Ferentium. Ferentum. Adrianus Ferentinatis Ecclesiæ Episcopus interfuit Concilio Leonis IV. Bassus Ferentii Episcopus fuit, Maximinus Ferentini. Basso successit Innocentius, qui subscripsit Synodo Romanæ tertiæ sub Symmacho. De S. Bonifacio Ferentii Episcopo agit Gregorius Magnus Dialog. lib.*1. *cap.*9. *Servus Dei Ferentensis Synodo Palmari sub Symmacho in manuscripto Vaticano*. Fuit igitur Maximinus Ferentini in Latio Episcopus, & Bassus Ferentii in Etruria: sic enim subscribunt Tom.4. Concil. Labb. pag.1149. sub Felice III. anno Christi 487. *Maximino Ferentanensi*: (in margine ex alio Codice *Frentanensi*) *Basso Ferentinati*. Idem Bassus sub Symmacho Papa in Conc. Rom. anno 499. Tom.4. Labb. pag.1314. subscribit hunc in modum: *Bassus Ferentinus*: in Synodo vero Romana III. sub eodem Symmacho anno 501. Tom. cit. Labb. pag.1326., & in Synodo Romana VI. anno 504. pag.1377. *Innocentius Ferentinas*. Quæ quum ita sint, corruit cl. Pennatii conjectura in vita S. Eutychii pag.84. existimantis, alterum e duobus *Stephanis*, qui Concilio Romano sub Gelasio anno 495., seu sequenti (ut vult Pagius in Breviario pag.227. num.4.) celebratæ, non expresso urbis Episcopalis nomine, subscripsere, *Ferentinæ* in Tuscia civitatis Episcopum fuisse, qui marmoreum illum lapidem in crypta S. Eutychii Martyris posuerit, in quo hæc verba apud eumdem Pennatium pag. 88. & 120. leguntur ✠ *Stephanus vates tibi Martyr Eutychi specie marmoris dedi*: qua de inscriptione infra sermo erit. Constat enim ex allatis Conciliorum genuinis subscriptionibus, Bassum Episcopum illam Tusciæ rexisse Ec-

cle-

clesiam ab anno 487. ad annum 501. adeoque nullum antedicto Stephano relictum fuisse inter ejusdem Ecclesiæ Ferentinæ Episcopos locum. Nicolaus Coletus in editione Veneta Ughelli anno 1727. Tom. 1. pag. 673. tam *Bassum*, quam *Innocentium* in catalogo Episcoporum Ferentini in Latio censet. Sed ab Holstenii judicio non esse recedendum, allatæ Conciliorum subscriptiones ostendunt. Lucentio quidem assentimur, qui in notis ad Ughellum, Bassum docet Conciliis Romanis anno 487. 493. & 499., non vero anno 502. interfuisse; non tamen illius sententiam probamus ajentis, eo tempore, h. e. anno 502. jam Ferentinatibus Innocentium præfuisse; nam is in Tuscia Ferentinis, non in Latio Ferentinatibus præerat. Gregorii Magni temporibus *Luminosus*, & *Marcianus* Ferentinatibus præfuere: ille in Latio, ut videtur, hic in Tuscia: nam Synodo Romanæ anno 601. Tom. 5. Labb. pag. 1608. ita subscribunt: *Luminosus Episcopus Ecclesiæ Ferentinæ: Marcianus Episcopus Ecclesiæ Ferentis*. Ex qua subscriptione colligo, emendandam esse alteram eorumdem Episcoporum, quorum nomina in priori Romana Synodo sub Sancto Gregorio anni 595. Tom. cit. Labb. pag. 1200. sic leguntur: *Luminosus Episcopus civitatis Ferentinæ: Marcianus Episcopus civitatis Ferensis*; & in margine *Farensis*: nullus enim dubito, quin sit legendum *Ferentensis*, sive *Ferentis*, ut supra. Ita legunt & Maurini editores operum S. Gregorii Papæ Tom. 1. pag. 1291. Idque confirmatur ex tertia Synodo ejusdem Sanctissimi Pontificis tam in Maurina pag. 1295. quam in editione Labbeana pag. 1608. ubi *Marcianus Ferentis Episcopus* dicitur. Hinc Nicolaus Coletus Ughelli continuator Tom. 10. pag. 96. inter *Ferentenses* Episcopos Marcianum recenset in hæc verba: *Marcianus Episcopus civitatis Ferentis describitur in Synodo Romana Gregorii Magni an. 595. & in altera pro Monachis celebrata anno 601.*

XIV. Quod

XIV.
De Agnello Tarracinensi Episcopo, qui Ferentinus *perperam dicitur.*

XIV. Quod autem tam in S. Gregorii Magni Synodo anni 595., quam in altera anni 601. apud Labbeum pag. 1588. & 1608., & apud Maurinos Patres Tom. 1. Operum S. Gregorii Papæ pag. 1293. & 1295. *Agnellus*, seu *Agellus* subscriptus legitur sic: *Episcopus Civitatis Ferentinensis*, sive *Episcopus Civitatis Ferentis*: hoc certissimum est amanuensium mendum. Quî enim fieri poterat, ut eodem anno, & in eadem Synodo bini sederent unius ejusdemque Ferentinæ civitatis Præsules? Marcianus, inquam, & Agnellus in Tuscia; aut Agnellus, & Luminosus in Campania? neque dicas Agnellum præfuisse Ferentanis in Apulia: nam ex priori Romana Synodo, quæ in Sacrosancta Basilica S. Petri Apostolorum Principis ab eodem Gregorio Pontifice celebrata est apud Labb. Tom. 5. pagin. 1200., & apud Maurinos pag. 1291. compertum exploratumque fit, Agnellum neque Ferentinatum in Tuscia, aut Campania, neque Ferentanorum in Apulia Episcopum fuisse; sed *Tarracinensem* Ecclesiam rexisse: sic enim laudatæ Synodo subscribit sexto post sanctissimum Pontificem loco: *Agnellus Episcopus Civitatis Tarracinensis*; & post Agnellum in eadem Synodo loco tertio decimo: *Luminosus Episcopus Civitatis Ferentinæ*: & decimo septimo: *Marcianus Episcopus Civitatis Ferentis*. Constat itaque eumdem Agnellum duabus aliis Synodis eodem modo subscripsisse: & pro Episcopo *Ferentinensi*, seu civitatis Ferentis, quod ibi manuscriptorum codicum vitio legitur, *Tarracinensis Ecclesiæ* utrobique substituendum esse. Fuerat hic Agnellus Fundanus Episcopus, ad quem, & ad Bacaudam Formiensem Episcopum exstat S. Gregorii Papæ epistola X. lib. 1. apud Maurinos pag. 497. Ab eodem Pontifice ad Ecclesiam Tarracinensem post Petri obitum translatus est, quemadmodum constat ex epist. 13. & 14. lib. 3. apud Maurinos pag. 633. & seqq. Eidem, Bacauda mortuo, visitationem Formiensis

ſis Eccleſiæ delegat Gregorius epiſt.16. lib.7. apud Maurinos pag.862. & lib.8. epiſt.18. pag.908. mandat, ut perquiſitos idolorum cultores puniat, & a murorum vigiliis neminem patiatur excuſari: demum lib. 9. epiſt.25. pag.947. una cum aliis Epiſcopis injungit, ut Gregorio Expræfecto Baſilicam ædificare cupienti ſacras Martyrum Reliquias concedat. Ubique *Tarracinenſis* Epiſcopus dicitur: nuſpiam *Ferentinenſis*. Eumdem in ſerie Tarracinenſium Epiſcoporum ſexto loco cenſet Ughellus Ital. Sac. Tom.1. pag.201. his verbis. *Hic idem Agnellus reperitur ſubſcriptus Tarracinæ Epiſcopus, cuidam favorabili Diplomati, a Magno Gregorio Caſinenſi Eccleſiæ indulto anno 595., & in Synodo Romana habita ab eodem Gregorio anno 566. 5. Julii*. Hæc Ughellus: verum dupliciter allucinatur, primum, aſſerens, conceſſum a Magno Gregorio Diploma Caſinenſi Eccleſiæ anno 595. Nam eo anno celebrata fuit a S. Gregorio Papa ſecunda Synodus Romana, cui ſubſcripſere Epiſcopi, & Presbyteri numero LVIII. apud Maurinos pag. 1292. & apud Labb. pagin.1587. Initium: *Gregorius Sanctiſſimus Apoſtolicus Papa ante corpus Beatiſſimi Petri in Synodo reſidens dixit*: ubi nihil de Eccleſia Caſinenſi: tametſi Baronius ad ann.595. num.59. aſſerit, ſe reperiſſe in ſcripto codice Sublacenſi, *eumdem Gregorium in concilio Romano Regulam Sancti Benedicti probaſſe, & confirmaſſe*. Hoc certe fieri potuit: ſed in Actis ejus concilii, quæ ſuperſunt, de Regula S. Benedicti ne verbum quidem. Alterum, in quo turpius fallitur Ughellus, eſt, dum ait, Agnellum Tarracinenſem ſubſcriptum reperiri in Synodo Romana die 5. Julii anno 566. ab eodem Gregorio celebrata. Nulla enim Synodus eo anno a B. Gregorio fuit habita: Tres quippe Synodos ille habuiſſe dicitur, quarum acta exſtant, & quibus Agnellus ſubſcriptus legitur. Prima anno Mauricii XIII. Indict.XIV. die 15. Julii, hoc eſt Chriſti 595. Initium: *Regnante in perpetuum*

tuum : Labb. tom.5. pag.1198., & iterum pag. 1585. Maurin. edit. Tom.1. pag.1288. Altera sine anno, & mense: Init. *Gregorius Sanctissimus*. Labb. tom.5. pagin.1587. Maur. edit. Tom.1. pag. 1292. Tertia denique pro Monachis anno 601. Init. *Quam sit necessarium*. Labb. pag. 1297., & iterum pag.1607. Maur. edit. pag.1294.

Hunc quidem errorem Ughellus animadvertisse postea videtur, atque emendasse, dum Tom.2. pag.721. scribit, Synodum pro Monachis a S.Gregorio anno 601. habitam: sed in alium priore pejorem impegit, dum ibidem Agnellum eumdem inter Episcopos Ferentinates in Hernicis ponit in hæc verba: *Agnellus subscripsit Constituto pro Monachis edito a S. Gregorio Magno in Synodo Romana anno 601., de quo Baronius Tom.*8. *annal.* Deceptus est vir doctus ex mendosa subscriptione: *Agnellus Episcopus Civitatis Ferentinensis, seu civitatis Ferentis*. Scribendum fuerat, *Tarracinensis*: tum ex epistolis S. Gregorii Magni: tum ex emendatioribus codicibus earumdem Synodorum, quas supra laudavimus: idque ipsum levi negotio deprehendere debuisset ipse Ughellus ex mendosis etiam ejusdem Synodi Romanæ, quam citat, subscriptionibus: nam duos in eadem Ecclesia, eodemque tempore sedere Episcopos ejusdem Religionis, ac Ritus, maxime sub oculis Gregorii sanctissimi, ac vigilantissimi Pontificis, res est adeo inaudita, ut a dormitante quocumque non tantum conjici, sed certissime etiam affirmari statim queat, mendum in subscriptionibus inesse. Ughellus tamen utrumque Episcopum in eadem Synodo subscriptum pro legitimis ejusdem Ecclesiæ *Ferentinatis* in Latio Episcopis admisit: Luminosum videlicet, de quo Tom.2. cit. pag.721. *Luminosus sub Gregorio I. Synodoque interfuit Romæ celebratæ anno 591. indict. XI. dum Mauritius ad Romani Imperii clavum sederet*; & *Agnellum*, quem anno 601. Synodo Romanæ pro Mona-

na-

nachis habitæ ab eodem S. Gregorio Papa subscripsisse testatur. Annos Synodorum dividens, Luminoso annum 591. tribuit, & Agnello annum 601., ut nimirum alterum alterius successorem in eadem sede faceret. Atqui acta Synodorum simul, eodemque tempore utrumque vixisse, eidemque Synodo subscripsisse, demonstrant: ac rursus non anno 591 indict. XI. sed anno 595. indict. XIII. habitam illam Synodum ostendunt, in qua interfuere *Agnellus Episcopus civitatis Tarracinensis, Luminosus civitatis Ferentinæ, & Martianus civitatis Ferentis*. Sed de his satis.

XV. *Polymartiana Ecclesia Ferentinæ in Tuscia conjungitur.*

XV. Nunc ad Ferentinam urbem regrediamur. Ughelli continuator tom.10. pag.96. *post annum Christi 601. deficiente civitate Ferenti Episcopalem Cathedram Polymartium translatam conjicit ex Bonito, qui Ferentos Polymartio dicitur in Romano Concilio sub Martino anno 649. Viguisse tamen*, subjungit, *aliquatenus Ferentum ad sæculum Christi duodecimum, quo excurrente a proximis Viterbiensibus hostili incursu excisum, dirutumque fuit, meliorque incolarum pars Viterbium transmigrare coacta*. Hæc ille ex Carolo a S. Paulo in Geographia sacra Italiæ, cujus hæc sunt verba: *Polymartium urbs Episcopalis Tom.2. Conciliorum, vulgo* Bomarzo. *Hanc Sedem unitam fuisse Ferentinati, conjicere est ex Concilio Lateranensi sub Martino, cui Bonitus Ferentispolymartianus subscripsit*. Certe in subscriptionibus Patrum Concilii Lateranensis sub S. Martino Papa apud Labb. Tom.7. pag.78. Latine, & Græce nomen Boniti, & Ecclesiæ Ferentensis sic legitur: *Bonito Ferentos Polymartio Episcopo*, φερέντȣ πολυμαρτίȣ: & pag.363. *Ferentis Polymartiæ Ecclesiæ*, φερέντȣ Πολυμαρτίας. In eodem Concilio præcedit nomen alterius Boniti *Ferentinatis Episcopi*, Græce itidem φερέντȣ: ex quo colligitur Græcum Interpretem eodem quidem *Ferenti* nomine appellasse tam Latii, quam Tusciæ civitatem, sed hanc ab illa distinctam

censuisse propter πολυμάρτιον, seu πολυμαρτίαν, quæ Cathedræ Ferentensi in Etruria adjuncta fuerat. Holstenius tamen in citatum Caroli a S. Paulo locum, existimat unum, eundemque Bonitum pro utraque Tusciæ, & Campaniæ civitate subscripsisse: *In editione*, inquit, *Binii*, *Bonitus Ferentinas legitur*, *& mox repetitur idem Ferentis Polymartanus*, *ut pro duabus Ecclesiis distinctis subscripserit*. *Et sic sæpius*. Levissima hæc conjectura est, ex sola nominis similitudine desumta, cujus exempla infinita sunt in Conciliis Orientalibus, & Occidentalibus, nec tamen ex sola homonymia cordatus quispiam arguere queat, pro distinctis Ecclesiis unum, eumdemque Episcopum subscripsisse, nisi id in ipsa subscriptione affirmetur. Sed quidquid sit, unus ne Bonitus fuerit, an duo, qui pro Ecclesia Ferentinate in Latio, & pro Ferentis Polymartio in Tuscia subscripserint; certum est primo, duas distinctas Ecclesias fuisse: deinde constat, paulo post Gregorii Magni tempora, quibus Ecclesia Ferentensis in Tuscia, ut vidimus, non secus atque aliæ in Italia, florebat; Polymartium autem Episcopali nondum Cathedra decoratum fuisse, ex antiquis monumentis apparet; constat, inquam, post Gregorii Magni tempora Polymartium Episcopatu auctum, & Ferentensi Sedi unitum fuisse. Id enim Gregorius ipse Magnus providere consueverat, ut si Ecclesiæ non mediocriter decrevissent, aut essent dirutæ, nec in pristinum statum facile reparari possent, aut quum duo Episcopi ex reditibus commode ali nequirent, unusque pro tempore regendæ Plebi sufficeret, binas, vel plures Ecclesias uni eidemque uniret. Complura unionum hujusmodi exempla in Epistolis sanctissimi Pontificis occurrunt; sed unum præ cæteris seligam lib. 1. epistola 8. ad Bacaudam Formiensem Episcopum: qua epistola Minturnensem Ecclesiam desolatam Formiensi conjungit, in hæc verba: *Et temporis necessitas nos perurget*, *& immi-*

imminutio personarum exigit, ut destitutis Ecclesiis, salubri ac provida debeamus dispositione succurrere. & ideo quoniam Ecclesiam Minturnensem funditus tam Cleri, quam Plebis destitutam desolatione cognovimus; tuamque pro ea petitionem, quatenus Formianæ Ecclesiæ, in qua corpus Beati Erasmi Martyris requiescit, cui fraternitas tua præsidet, adjungi debeat, piam esse, ac justissimam providentes; necessarium duximus, consulentes tam desolationi loci illius, quam Ecclesiæ tuæ paupertati, reditus supradictæ Ecclesiæ Minturnensis, vel quidquid ei antiquo, modernoque jure, vel privilegio potuit, potestque qualibet ratione competere, ad tuæ Ecclesiæ jus, potestatemque hac præcepti nostri auctoritate transmigrare. Scilicet ad id cogebant depopulatæ urbes ob assidua Gothorum, & Longobardorum bella, de quibus gemit S. Doctor, maxime homil. 17. in Evang. num. 16. ut recte advertunt Maurini Editores. Itaque ob easdem causas videtur per eadem fere tempora Ferentensi Ecclesiæ Polymartiana adjuncta, sic tamen, ut sequiori ævo, Ferentensis nomine propemodum deleto, Episcopalis illa Cathedra Polymartiana tantum diceretur: nam in iis, quæ Lateranense sub S. Martino subsequuta sunt, Conciliis earum Ecclesiarum Antistes, non amplius Ferentensis, aut Ferentis-Polymartianus subscribitur, sed Polymartii Episcopus.

XVI. *Polymartiani, & Ferentini Episcopi.*

XVI. Eorum Præsulum seriem habes apud cl. Holstenium in notis ad Carolum a S. Paulo, & apud continuatorem Ughelli Tom. X. pag. 159. Sunt autem: *Barbatianus*, qui Romano Agathonis Papæ (1) Concilio anno 680. interfuit. *Majorinus*, qui in Synodo Romana sub Gregorio II. anno 721. sententiam dixit. *Joannes*, qui in Romano Concilio sub Zacharia anno

(1) Labb. Tom. 6. pag. 708. in Actis Conc. Constantinop. III. seu Synodi IV. Œcumenicæ.

no 743. ſubſcripſit. *Agatho*, ſeu *Agathus* qui Concilio Romano Eugenii II. anno 826. præſens fuit. *Georgius* qui Concilio Romano (2) ſub Leone IV. anno 853. ſubſcripſit. *Marinus*, qui de mandato Agapeti II. Concilio Engelenheimenſi anno 948. præfuit. *Lambertus* denique, qui in Synodo Romana Benedicti VIII. anno 1015. ſubſcriptus reperiatur. His adde *Maurinum* Epiſcopum Polymartii, qui ſubſcriptus legitur in Concilio Lateranenſi Stephani Papæ III. anno 769., ut conſtat ex cod. Vat.800., cujus Concilii acta ex eod. Vat. cod. edidit amiciſſimus Cajetanus Cenni Romæ typis Vaticanis 1735.

Interim notanda eſt cl. Lucæ Holſtenii allucinatio, qui inter Ferentenſes Tuſciæ Epiſcopos recenſet *Adrianum* in Concilio Romano ſub Leone IV. ſubſcriptum. Is enim non Ferentinæ in Etruria Eccleſiæ, ſed Ferentinati in Campania præfuit, quemadmodum ex actis ejuſdem Concilii conſtat Tom.8. Labb. pag.123., ubi Polymartienſis Epiſcopus Georgius, & pag.122. Ferentinas Adrianus ſubſcripti leguntur: nec dubitandum, quin eo tempore, ſuppreſſo licet Ferentis nomine, Polymartiana Eccleſia ſignificaret Epiſcopalem Ferentinam Tuſciæ Cathedram, a Ferentinate in Latio diſtinctam: id enim in uſu fuerat etiam in prioribus Conciliis Romanis; ſub Martino videlicet anno 649., ſub Gregorio II. anno 721.& ſub Stephano III. anno 769. in quibus ſubſcripſere pro Ferentinate quidem in Latio Eccleſia Bonitus, Agnellus, & Sergius; pro Ferentina autem in Tuſcia, & Polymartienſi, Bonitus alter, Majorinus, & Maurinus. Adeo Ferentini Epiſcopi cum Ferentinatibus confunduntur ab accuratiſſimis quoque Scriptoribus, ut vel ii ipſi, qui confuſionem hujuſmodi notant, ab ea tamen ſeſe nequaquam abſtineant.

Po-

(1) Ughell. Ital. Sac. Tom.2. pag.997.

Polymartii nulla reperitur mentio apud veteres Scriptores. Primus, quod ſciam, illius meminit Paulus Diaconus Longobardicarum rerum lib.4. cap.8. his verbis. *Hac etiam tempeſtate Romanus Patricius, Exarchus Ravennæ, Romam properavit; qui, dum Ravennam reverteretur, recepit civitates, quæ a Longobardis tenebantnr, quarum iſta ſunt nomina, Sutrium, Polymartium, Horta, Tudertum, Ameria, Peruſium, Luceoli; & alias quaſdam civitates.* Id factum contigit Gregorio Magno Pontifice, & Agilulfo Longobardorum Rege, ut ex eodem Paulo Diacono conſtat loc. cit. ubi hæc ſubjungit: *Quod factum quum Regi Agilulfo nunciatum eſſet, ſtatim Ticino egreſſus, cum valido exercitu Peruſium petiit; ibique per dies aliquot Mauritionem Ducem Longobardorum, qui ſe Romanorum partibus tradiderat, obſedit, & captum ſine mora vita privavit. Hujus Regis adventu iterum B. Gregorius exterritus eſt, ut ab expoſitione Templi, de quo Ezechiel ſcripſerat, deſiſteret, ſicut ipſe quoque in ſuis Homiliis refert.* Cetera. Hinc colligitur Polymartium quidem temporibus Gregorii Magni inter civitates Tuſciæ nobilem fuiſſe; nondum tamen ſuum Epiſcopum habuiſſe; quum Ferentenſis Epiſcopus ſub eodem Pontifice adhuc eſſet, & diceretur, ut ſupra oſtendimus. Quo autem anno eadem Polymartiana Eccleſia juris Balneoregienſis evaſerit, ſicuti nunc eſt, ut inquit Ortelius in Theſauro geographico, & continuator Ughelli Tom. X. pag. 159., nemo hactenus expoſuit. Paulus Diaconus, qui Gregorio Pontifice Polymartium inter Tuſciæ civitates non infimam lib. 4. cap. 8. memoraverat, poſt ejuſdem Pontificis obitum lib. cit. cap.33., Balneoregium etiam recenſet, in hæc verba: *Sequenti denique menſe Novembris Rex Agilulf pacem fecit cum Smaragdo Patricio in annum unum, accipiens a Romanis duodecim millia ſolidorum. Civitates quoque Tuſciæ, hoc eſt, Balneum Re-*

gis

gis, & Urbs vetus a Longobardis invasæ sunt. Anno igitur Christi circiter 605. quo id factum a Paulo Diacono narratur, tam Polymartium, quam Balneum Regis in Civitatum Tusciæ censu habebantur. Porro sub eodem Sanctissimo Gregorio, quum adhuc Ferentina civitas suum haberet Episcopum, Balneum quoque Regis Episcopali dignitate ornatum fuisse, testatur idem Pontifex lib.X. Epist.34. ad Ecclesium Clusinum Episcopum, cui mandat, ut de Johanne Diacono a Balneoregiensibus in Episcopum electo sollicite inquirat, in hæc verba; *Gloriosus filius noster Aufridus ad nos scripta transmisit, indicans, quod in castro Balneo Regis, una cum habitatoribus loci ipsius sibi Joannem Diaconum elegerit Episcopum ordinandum, de cujus omnino vita bona testatus est.* Reliqua. Itaque distinctum Præsulem habuere Balneum Regis, & Ferentina urbs, quæ Polymartio paulo post adjuncta fuit, ab iis temporibus, quibus Gregorius Magnus Ecclesiam Dei illustravit, usque ad sæculum undecimum, quo Lambertus, ut supra diximus, Polymartianus, idemque Ferentinus Episcopus in vivis erat; Girbertus autem Balneoregiensem administrabat Ecclesiam anno 1059. quo Romanæ Synodo sub Nicolao II. interfuit. Sæculo sequenti videtur Polymartiana quidem Cathedra Balneoregiensi, Ferentina autem Viterbiensi accessisse; quum scilicet Ferentum Viterbienses exciderunt.

XVII. *De Excidio Ferentinæ urbis in Tuscia.*

XVII. De causa, & anno illius excidii, non convenit inter Auctores. Gothifredus de Tineosis in chronico Ms. auctor est, Ferentinam urbem a Viterbiensibus anno Christi 1074. ob hæresim excisam fuisse: eo videlicet, quod in Cerdonis hæresim inciderant. Hujus sententiam sequuntur Albertus in descriptione Italiæ pag.62., Cluverius lib. 2. pag. 562., Ughellus Tom.1. pag.306., Baudrandius, & Carolus a S. Paulo, & cl. Franciscus Mariani de Episcopis Viter-

terbienſibus pag.253. in Appendice ad eruditum librum de Etruria Metropoli, ubi Ferrarium citat, & Henſchenium in hæc verba. *Ferentum primo loco recenſent inter oppida Viterbienſis Diœceſeos. Ferentanos Epiſcopos ibi ſediſſe uſque ad ſæculum VII. ambigi non poteſt: ſed poſtea noſtros* (ideſt Viterbienſes) *ea Urbe potitos fatendum eſt, & ideo Ferenti Epiſcopi tunc deſiere audiri. Revera limites a Leone IV. aſſignati, illud comprehendunt, & noſtri Epiſcopi juſſu a noſtris militibus dirutum fuit, quia in Cerdonis hæreſim inciderant; ut ex Gothifredi annalibus notavit Albertus, Ferrarius, & Henſchenius Tomo 3. Maji pag. 371. quod convincit ſub noſtræ Urbis, noſtrique Epiſcopi ditione fuiſſe.* Ferentum, ejuſque territorium ſub Viterbienſi ditione laica ab antiquis temporibus fuiſſe, non nego: Comitatus enim Viterbienſis a Polymartienſi, atque Hortano territorio uſque ad Ripam Albellam Minionis, ac portum Maris extenſus erat, ut conſtat ex diplomate Caroli Craſſi Imperatoris anno 881. in Regeſt. Farfenſi edit. Muratorii pag.381., & ex diplomate Othonis III. ann. 991. & Conradi Imp. ann.1027. apud eumdem Muratorium pag.707. Verum non inde ſequitur, etiam Eccleſiaſticam Ferentinam Diœceſim Sedi Viterbienſi iiſdem temporibus adjunctam fuiſſe: alioquin nunc quoque in unum, eumdemque Viterbienſem Epiſcopatum conflatæ dicerentur Eccleſiæ Balneoregienſis, Ortana, Montis Phaliſci, & Aquipendii, quæ in civilibus Gubernatori Viterbienſi parent, ut Felicianus Buſſius notat in libro, cui titulus, *Hiſtoria Civitatis Viterbienſis*, Romæ edito Italice anno 1742. pag.394. quæ tamen Eccleſiæ, ut eſt certiſſimum, & omnibus notum, ſuum unaquæque habent Epiſcopum a Viterbienſi diſtinctum. Conſtat autem ex iis, quæ ſupra notavimus, uſque ad annum 1015. Polymartianam, ac Ferentinam civitates ſuo nunquam caruiſſe Epiſcopo; idque eodem tempore, quo & Tuſcanen-

ſis, ſeu Viterbienſis, & Ortana, & Balneoregienſis Eccleſiæ ſuum etiam Præſulem habebant, quemadmodum ex ea Epiſcoporum ſerie compertum eſt, quam Ughellus Tom. 1. Italiæ ſacræ edidit. Non igitur poſt ſeculum VII. Epiſcopi Viterbienſes, ſive Tuſcanenſes, Ferentina urbe potiti ſunt, quemadmodum ſupra laudatus cl. Marianus noſter aſſerit: neque, ut idem ſubjungit, eadem Urbs in limitibus a Leone IV. aſſignatis comprehendebatur; quum poſt Leonem IV. ſub quo Georgius anno 853. in Synodo Romana ſubſcripſit, Marianus anno 948. & Lambertus anno 1015. Polymartienſes Epiſcopi in aliis Synodis ſubſcripti legantur, quemadmodum ſupra dictum eſt.


XVIII. *De anno, & cauſa ejus Excidii.*

XVIII. Jam vero neque verum eſſe, Ferentum anno 1074. a Viterbienſibus ob hæreſim Cerdonis exciſum fuiſſe, certum eſt ex ipſis Viterbienſium annalibus, in quibus narratur, eam Urbem anno Chriſti 1169. adeo viribus, & opibus floruiſſe, ut Viterbienſibus bellum movere potuerit. Deſcribitur id bellum a Lancellotto pag. 3. & a Feliciano Buſſio pag. 98. & ſeqq., quod quum uſque ad annum 1172. Ferentinos inter, ac Viterbienſes duraſſet, tandem Viterbienſes, qui ad Federici Imperatoris partes adverſus Alexandrum III. Pontificem Maximum tranſierant, Ferentinos aggreſſi, eorum Urbem funditus deleverunt. Cauſa igitur illius belli, non hæreſis Cerdonis fuit, ut vulgo dicitur: ſed quia Italiæ populis per ea tempora, quibus Federicus Imperator Alexandro III. Summo Pontifici infenſus Calliſtum Pſeudopontificem in Petri Cathedram intruſerat, in diverſas factiones ſciſſis, Ferentini, ut videtur, partes Federici Imperatoris, ejuſque Pſeudopontificis; Viterbienſes vero Alexandri Papæ ſequuti fuerant. Liquet enim ex annalibus Viterbienſium, eidem Federico ab anno 1169. ad annum 1180. Viterbienſes juramentum fidei præſtare coactos fuiſſe, a quo proinde binis aucti ſunt pri-

privilegiis, quorum alterum datum Senis XIV. Kal. April. anno Incarnationis Dominicæ 1172., ut Imperiale vexillum deferrent; alterum datum Fulginei Idibus Februarii anno 1173., quo absolutio ob destructum Ferentum iis fuit concessa. Utrumque diploma a Christiano Moguntino Archiepiscopo, & totius Italiæ legato Imperatoriæ Majestatis subscribitur: a Feliciano autem Bussio in appendice ad historiam Viterbiensem pag.398. refertur. Si quis vero illud præcipue attentius inspexerit, quod anno 1173. Viterbienses post excisum Ferentum obtinuere, certo certius intelliget, non aliam ob causam illos in Imperatoris gratiam receptos dici, quam quia Ferentinis Imperatoriæ factionis hominibus deletis, Imperatoriam Majestatem offendisse visi fuerant: cujus, ut videbatur, criminis maculam, præstita postmodum eidem Imperatori obedientia, & admisso in suam civitatem Pseudopontifice Callisto, Viterbienses eluerant. Hæc diplomatis verba sunt. *Christianus Dei gratia Moguntinæ Sedis Archiepiscopus, Germaniæ Archicancellarius, & totius Italiæ legatus Imperatoriæ Majestatis &c. Unde nos fidem, & præclara servitia, quæ dilectus noster Comes Ildibrandinus, atque Civitas Viterbiensis Imperio favorabiliter hactenus exhibuerunt, diligenti examine pensantes, intercedentibus sed precibus familiarium nostrorum Joannis de Casamala, Galilæi, & Angeli Boni, Imperiali qua fungimur auctoritate, præscripto Comiti Ildibrandino, atque civitati Viterbiensi concedimus, & promittimus, quod Ferentum nec relevabimus, nec relevari faciemus, & ne relevetur, Imperiali auctoritate præcipimus; ipsam quoque Civitatem Viterbiensem, quam propter idem Ferentum Dominus Phil. Col. Archiepiscopus Banno Imperiali subjacere pronunciavit, ab eodem Banno absolvimus.* Imperiali Igitur Banno Viterbienses subjacuerant, ob excisum Ferentum: & hanc in illos sententiam pronunciaverat Coloniensis

Archiepiſcopus Federici Imperatoris in Italia legatus: adeoque certum eſt, Ferentinorum patrocinium a Federico olim ſumtum fuiſſe, quod partes ſuas adverſus Viterbienſes tutati fuerant; & hanc ob cauſam illorum Urbem ab iiſdem Viterbienſibus, non ob Cerdonis hæreſim, cujus nulla tunc mentio, deletam fuiſſe.

Quidquid tamen ſit, ſive ob hæreſim illam, ſive ob civilia odia, conſtat Ferentum uſque ad annum 1172. ſtetiſſe, ibique Epiſcopalem Cathedram Polymartianæ conjunctam viguiſſe. Exciſo autem, ut ſupra, Ferento, partem quidem ejus Diœceſeos Hortani Epiſcopi tenuere, uti eſt Surianum oppidum, ubi Eccleſia S. Eutychii Martyris, quæ olim, S. Gregorio teſte, inter Ferentinas Parochias cenſebatur: reliqua omnia Viterbienſibus ceſſerunt, qui & ſacras Ferentinæ Urbis Reliquias, & Eccleſiaſticas dignitates atque Beneficia in ſuam civitatem tranſtulere. Id fuſe narrat de Viterbienſibus loquens cl. Buſſius pag. 40. & ſeqq.



CA-

CAPUT II.

De S. Bonifacio Ferentino Episcopo.

I. ÆC de Ferentinis Italiæ oppidis, ac populis fusius fortasse, quam oportebat, notanda fuerunt, ut inter tot nominum diversitatem, ac similitudinem certa ab incertis distinguerentur. Certum est enim, quidquid de Episcopis Ferentinis Bonifacio, ac Redempto, deque S. Eutychio Presbytero ac Martyre inter eruditos disputatur, aut de Ferentino in Hernicis, aut de Ferentino in Tuscia tantummodo dici posse: aliis vero Apuliæ, Samnitium, aut Latii locis nullatenus convenire.

I. S. Bonifacius Ferentinus in Tuscia Episcopus:

Certum est etiam, nec in dubium revocandum, S. Bonifacium Episcopum, cujus S. Gregorius Papa lib. 1. Dialog. cap. 9. meminit, Ferentini in Tuscia, non in Hernicis fuisse Episcopum. Idipsum S. Gregorius Papa testatur, dum in ultimis versibus capitis octavi, aperte declarat, de rebus in Tuscia gestis sermonem se habere: *Vis tibi*, inquit Gregorius, *aliquid de Tusciæ partibus narrem? ut cognoscas quales in ea viri fuerint, & omnipotentis Dei notitiæ quantum propinqui? Petrus. Volo, atque hoc omnimodo exposco*. Et statim subjungit. *Caput IX. de Bonifacio Ferentinæ civitatis Episcopo. Fuit vir vitæ venerabilis Bonifacius nomine, qui in ea civitate, quæ Ferentis dicitur, Episcopatum officio tenuit, & moribus implevit*. Hoc testimonio nihil clarius. Fuit igitur Bonifacius Ferentinæ in Tuscia civitatis Episcopus. Hinc

in

in Martyrologio Romano juſſu Gregorii XIII. anno 1583. edito ad diem 14. Maji, ejuſdem Bonifacii fit commemoratio hoc elogio: *Ferenti S. Bonifacii Epiſcopi & Confeſſoris, qui a pueritia ſanctitate, & miraculis claruit*. In eo vero, quod idem Gregorius Papa anno 1584. emendatius prodire juſſit: *Ferentini in Tuſcia S. Bonifacii Epiſcopi, qui, ut refert B. Gregorius Papa, a pueritia ſanctitate, & miraculis claruit*. Unde Baronius in notis ad hunc diem: *Porro de Ferenti in Tuſcia, & non de Ferentino apud Hernicos, ſive in Latio poſito, agere S. Gregorium, ex ejus verbis apparet*. Galeſinius ad eundem diem: *Ferentini S. Bonifacii Epiſcopi, cujus jam inde ab ineunte ætate ſanctimonia ſplendeſcebat, rebus a ſe pie, mirabiliterque geſtis, quas multas B. Gregorius Pontifex ad poſteritatem literis produxit*.

II. *S. Bonifacii Corpus, Alba, & Amictus apud Viterbienſes.*

II. Addit in notis iſta tradi *ex tabulis Eccleſiæ Ferentinæ, & Cod. MS.* Nimirum ex tabulis Viterbienſis, & Hortanæ Eccleſiæ, quæ in locum Ferentinæ ſucceſſerunt: non enim tam hebes fuit Galeſinius, ut neſciret Ferentinam Tuſciæ Eccleſiam a Viterbienſibus dirutam, tabulaſque ejus, & Sacras Reliquias Viterbium fuiſſe translatas: adeoque cenſuram cl. Henſchenii videtur immerito ſubiiſſe de ipſo hæc ſcribentis ad diem 14. Maji: *Verum quum Urbs hæc ab annis pluſquam ſexcentis fuerit exciſa, ſuſpectus nobis hic Galeſinius eſt, ſæpe alias deprehenſus, & tabulas, & MS. citare, quæ nuſpiam viderit*. Satis erat Galeſinio, citaſſe S. Gregorium Papam, ut oſtenderet, de quo Bonifacio Epiſcopo ibi ſermo eſſet. Citavit præterea in notis, *& Tabulas Eccleſiæ Ferentinæ, & Codices manuſcriptos*; quia nimirum ex his apud Viterbienſes, & Hortanos exſtantibus conſtabat, eumdem Bonifacium in Etruria, non in Hernicis Epiſcopum fuiſſe: Ferentio enim exciſo, Corpus ejus, & Albam cum Amictu Viterbienſes in urbem ſuam tran-

transtulerant: quemadmodum & Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ elogium ejusdem Bonifacii ex Sancto Gregorio texit, annotatque, *Corpus Viterbii, quo cum Sede Episcopali translatum est, quiescere, & coli, uti audivit*. Id enim Ferrarius a Viterbiensibus audiverat, quod literis mandaverunt cl. Dominicus Macrius in Hierolexico, *verb. Alba*: Pennatius in vita S. Eutychii lib.1. cap.4., & Bussius in historia Viterbii Par. 1. lib.1. pag.40. Verba Macrii accipe: *Sancti Bonifacii Ferentinatis Episcopi, Alba in Cathedrali Viterbiensi asservata, habet hæc frusta attalica, ac etiam in ejusdem Amictu similiter, in quo Gothicis literis pulchre Tetragrammaton efformatur, nomen illud, scilicet, Dei ineffabile, alludens ad id, quod summus Judæorum Sacerdos in fronte gerebat*. Pennatius: *Certum est*, inquit, *in antedicta Cathedrali Viterbiensi servari Albam cum Amictu S. Bonifacii Ferentini Episcopi*, (1) *quemadmodum testatur & Macrius in Hierolexico, verb. Alba pag.17. Brachium insuper cum aliis reliquiis ejusdem Sancti: reliquum vero sacrum Corpus servatur, & colitur in Ecclesia Collegiata S. Sixti*. Bussius: *Inter antedictas reliquias (ex Urbe Ferentina Viterbium) translatas speciatim Corpus fuit S. Bonifacii Episcopi ejusdem Ferentinæ Civitatis, quod quum in Ecclesia Sancti Stephani collocatum esset, quumque ea Ecclesia (quemadmodum suo loco dicemus) destructa fuisset, postea fuit in Ecclesia Collegiata Sancti Sixti reconditum. De eodem Sancto Episcopo fusius scribit S. Gregorius Magnus lib.1. Dialogorum cap.9. sitque ipsius commemoratio in Martyrologio Romano die 14. Maji in hæc verba*: Ferenti in Tuscia Sancti Bonifacii Episcopi, qui, (ut refert B. Gregorius Papa) a pueritia sanctitate, & miraculis claruit. *Fuerunt præterea huc trans-*

(1) Primæ editionis.

translatæ omnes Dignitates, & Beneficia ejusdem Ferentii, ac nominatim pinguis Præpositura, quæ eidem Ecclesiæ S. Stephani tributa est. Quæ omnia annuente, ac probante Apostolica Sede peracta sunt. Hæc Bussius: cui consonat Pennatius, quoad Ecclesiasticas dignitates Ferentio Viterbium translatas, quarum fundus in Maeonia, seu Maeoniano Castro, quod prope Ferentii rudera jacet, situs esse dicitur. De Maeonia autem Turrhenæ Castro, nunc Magognano dicto, agit cl. Franciscus Mariani in lib. cui titulus, *De Etruria Metropoli* cap.7. pag.46. vir Græce, & Hebraice doctus, deque Etruscis antiquitatibus optime meritus.

III. *Ejusdem Ecclesia diruta inter Ferentii rudera.*

III. Addit Pennatius lib. cit. pag.12. & pag.255. *Inter excisi Ferentii rudera ad quatuor millia passuum distantis a Viterbio exstare etiamnum Ecclesiam dirutam Sancti Bonifacii quadratis lapidibus antiquo more magnis sumtibus ædificatam, ut ipsemet vidit.*

IV. *Scrupulus P. Henschenio eximitur dubitanti, an S. Bonifacius Ferentini in Tuscia, an in Hernicis Episcopus fuerit.*

IV. Ex quibus omnibus colligitur, non esse dubitandum, quin Sanctus Bonifacius, cujus B. Gregorius meminit, Ferentinorum in Tuscia Episcopus fuerit. Mirum est igitur, oculatissimum virum Henschenium in notis ad vitam S. Eutychii die 15. Maji num.3. pag.458. de re tam manifesta dubium movisse: ait enim de S. Bonifacio: *Hujus, vel alterius Urbis Ferentinæ Episcopi*: quamquam idem Henschenius ad diem 14. Maji pag. 371. sine ulla hæsitatione eumdem Bonifacium appellet, *Ferentinum in Etruria Episcopum*.

V. *Ejusdem Henschenii allucinatio Bonifacium Ferentinum Episcopum cum Bonifacio Martyre confundentis.*

V. Sed, quod adhuc magis mireris, idem Henschenius quædam verba profert ex pervetusto Sacrosanctæ nostræ Vaticanæ Basilicæ Martyrologio manu antiqua exarato, ut ipsum Bonifacium, quem Ferentinæ in Tuscia urbis Antistitem diserte dixerat, ad Ferentinam Hernicorum Civitatem trahat. Verba ejus hæc sunt: *In pervetusto MS. Martyrologio Ecclesiæ*

S. Pe-

S. Petri Romæ ad geminum Bedæ Textum hæc addita leguntur : Eodem die Sancti Bonifacii in Apennino : *quæ videntur de hoc Sancto intelligenda, ipsumque Hernicis ad montes sitis vindicarent*. Textum laudati Martyrologii, quod in Archivo Vaticanæ Basilicæ exstat, cui hoc anno 1745. ejusdem Basilicæ Canonicus licet immeritus præsum, quum diligenter consuluissem, viri docti allucinationem deprehendi: in eo siquidem Martyrologio, quo olim Chorus laudatæ Basilicæ utebatur, hæc addita sunt die 14. Maji: *Eodem die Sancti Bonifacii in Apentino*; quæ sunt ex Usuardo & Adone desumta seu potius ex antiquo Martyrologio Romanæ Ecclesiæ jussu Caroli Magni conscripto, cujus verba in editione Jo: Molani ad eamdem diem 14. Maji accipe: *Item eodem die Sancti Bonifacii Martyris sub Diocletiano, & Maximiano, qui apud Tarsum civitatem passus, Romæ via Latina sepultus est. Hic quum diu in stupro misceretur, tandem divino nutu compunctus, non solum, cui subjacuit, vitium deseruit, verum per diversa tormenta ad palmam Martyrii ardenter cucurrit*. Ejusdem Bonifacii Martyris memoria colitur in recentiori Martyrologio Romano ad eamdem diem 14. Maji his verbis: *Natalis Sancti Bonifacii Martyris, qui sub Diocletiano, & Maximiano apud Tarsum Ciliciæ passus, Romam deinde translatus, via Latina sepultus est*. De hoc Bonifacio Martyre, non de illo Ferentinorum Episcopo & Confessore intelligenda sunt addita illa ad genuinum Bedæ Textum verba in Martyrologio Vaticano. Dicitur autem ibi, non *in Apennino*, ut habet Henschenius, sed *in Apentino*, hoc est, *in Aventino*, quia in eo colle sita est Ecclesia S. Bonifacii Martyris, ad quam ex Cœmeterio, quod in via Latina erat, translatus fuit, quemadmodum Henschenius ipse ad diem 14. Maji de eodem Bonifacio notat pag.280. num.4. *Paulus Aringhus in citato tomo* 2. *Romæ subterraneæ lib.*4. *cap.*6. *num.*7. *asserit, sacrum*

Corpus S. Bonifacii ex loco primæ sepulturæ ad Ecclesiam in Aventino colle sub ejus nomine exædificatam piis Fidelium obsequiis, ac festivis totius Romæ tripudiis delatum fuisse: ad quam Ecclesiam, quum delatum postea fuisset etiam Corpus S. Alexii, sub ejus quoque nomine appellari cœpit cum Monasterio adjuncto. Alius est igitur hic Bonifacius Martyr a nostro Bonifacio Confessore Ferentinorum in Tuscia Episcopo.


VI. *S. Bonifacii Episcopi ætas sub Justino Seniore, non Juniore.*

VI. Quo autem anno Ecclesiam illam rexerit Bonifacius, ex verbis S. Gregorii colligitur. Ait enim Sanctissimus Pontifex initio capitis 9. libri 1. Dialogorum: *Hujus multa miracula is, qui adhuc superest, Gaudentius Presbyter narravit: qui nutritus in ejus obsequio, tanto valet de illo quæque veracius dicere, quanto eis contigerit & hunc interesse.* Atqui S. Gregorius hæc scribebat, ut supra diximus, anno Christi 593. vel 594., quo anno Marcianus Ferentinam Tusciæ Cathedram tenebat, ut constat ex ejusdem subscriptione ad bina Concilia Romæ sub eodem S. Gregorio Papa anno 595. & 601. celebrata. Bonifacius igitur Episcopus, cujus miracula is qui eo Christi anno, nimirum 593. vel 594. adhuc supererat, Gaudentius Presbyter Gregorio Papæ narrabat, post Innocentium Bassi successorem, Ferentinæ Ecclesiæ præfuerit, oportet: nimirum post annum Christi 519., quo Justinus Imperii Romani clavum tenebat. Hinc Baronius in notis ad Martyrologium Romanum de Bonifacii ætate hæc scribit: *claruit circa tempora Justini Imperatoris*. Justini, inquam, non Junioris, qui mortuo die 13. Novembris anni 566. Justiniano successit, rexitque Romanum Imperium usque ad diem 5. Octobris anni 578., quo obiit, ut Baronius, Henschenius, & alii existimant: sed Senioris, qui post Anastasium die 10. Julii anni 518. vita functum, Romani Imperii clavum tenuit usque ad diem 1. Aprilis anni 527., quo in vivis esse desiit. Quum enim, ut ex Dialogis S. Gregorii constat, Bonifacius iste ante Redem-

ptum

ptum Episcopum Ferentinam Ecclesiam administraverit; quumque Redemptus, eodem Gregorio Papa teste, cladem Longobardorum præviderit, quæ mox anno Christi 568. sequuta est, ut Paulus Diaconus, & alii narrant; palam fit, Bonifacium Episcopum sub Justino seniore, & Justiniano claruisse, eo fere temporis spatio, quod post Innocentii Ferentini Episcopi obitum ab anno 519. ad annum circiter 530. excurrit. Nisi dicamus inter Innocentium, & Bonifacium, & inter Bonifacium, & Redemptum alios Episcopos Ferentinos intercessisse, quorum nomina non sint ad nos perlata. Ferrarius ait claruisse Bonifacium circa tempora S. Gregorii Papæ: *Fere S. Gregorii Papæ tempestate vixit: is enim se gesta Bonifacii a Gaudentio Presbytero illius nutritore audivisse scribit*. Verum S. Gregorius Papa non scribit, se gesta Bonifacii a Gaudentio Presbytero illius nutritore audivisse, sed a Gaudentio Presbytero illius alumno; *qui nutritus in ejus obsequio, tanto valet de illo quæque veracius dicere, quanto eis contigerit & hunc interesse*. Hinc Gaudentius Presbyter Bonifacio Episcopo supervixit: Alumnus enim ejus fuit, non nutritor. Quod autem Bonifacius, quum Dialogos suos S. Gregorius Papa anno 593. vel 594. scriberet jamdiu ad superos migrasset, disertis verbis tradit idem Pontifex num. 1. *Fuit vir vitæ venerabilis, Bonifacius nomine, qui in ea civitate, quæ Ferentis dicitur, Episcopatus officium tenuit, & moribus implevit*. Quæ verba Episcopum vita functum designant. Subjungit Gregorius Papa num.3. de eodem Bonifacio Episcopo, & Constantio Presbytero illius nepote scribens: *Qui mox de Ecclesia B. Mariæ Virginis egressus, eos* (duodecim nimirum aureos, quibus equum suum Constantius Presbyter vendiderat) *in sinum furentis Presbyteri projecit, dicens: Ecce habes solidos, quos quæsisti: sed hoc tibi notum sit, quia post mortem meam*

in hujus Ecclesiæ Episcopum non eligeris propter tuam avaritiam. Ex qua sententia veritatis colligitur, quia eosdem solidos Presbyter pro adipiscendo Episcopatu præparabat; sed viri Dei sermo prævaluit: nam idem Constantius in Presbyteratus officio vitam finivit. Jam igitur vita functi fuerant Bonifacius Episcopus, ejusque nepos Constantius Presbyter, quum hæc Gregorius Papa literis mandaret; neque enim Constantius Presbyter patruum Bonifacium in Episcopali Ferentina Cathedra excepit, sed Sanctus Redemptus; ut nunc ostendam.



CAPUT III.

De S. Redempto Ferentino Episcopo.

I. N antiquis Romanæ Ecclesiæ Martyrologiis neque Bonifacii, neque Redempti Ferentinorum Episcoporum ulla mentio reperitur. Nomen solius Bonifacii ad diem 14. Maji primum, quod sciam, fuit repositum a Molano anno 1568., & a Galesinio anno 1578. Et Molanus quidem hoc illum exornavit elogio: *Bonifacii Episcopi Ferentinæ Civitatis, qui, ut refert Gregorius primo Dialog. a puero vita, & miraculis insigniter fulsit. Egressus namque hospitium, nonnunquam nudus revertebatur: quia mox ut nudum aliquem invenisset, se exspolians illum vestiebat. Quum triticum omne, quod haberet mater paupercula, egenis erogasset, & ob hoc matrem vidisset afflictam, oratione fusa impetravit, ut amplius esset, quam ante fuerat. Factus tandem Episcopus, plenus operibus bonis quievit in pace.* Galesinius autem: *Ferentini Sancti Bonifacii Episcopi, cujus jam inde ab ineunte ætate sanctimonia splendescebat, rebus a se pie, mirabiliterque gestis, quas multas B. Gregorius Pontifex ad posteritatem literis prodidit.*

I. Ferentinorum Episcoporum Bonifacii, & Redempti nulla in antiquis Martyrologiis commemoratio.

II. Ex his Auctoribus videtur tam Bonifacii, quam Redempti memoria in Martyrologium Romanum sub Gregorio XIII. editum invecta. Et in priori quidem ejusdem Martyrologii editione, quæ Romæ anno 1583. typis Dominici Basæ prodiit, de S. Redempto ad diem 8. Aprilis hæc leguntur: *Ferentini S. Redempti Epi-*

II. Diversa Bonifacii, & Redempti elogia in diversis Martyrologii Romani editionibus sub eodem Gregorio XIII.

Episcopi, & Confessoris, de quo Sanctus Gregorius Papa scribit. De sancto vero Bonifacio ad diem 14. Maji: *Ferentini S. Bonifacii Episcopi, & Confessoris, qui a pueritia sanctitate, & miraculis claruit.* In altera autem editione, quæ tamquam emendata, & sincera, ejusdem Gregorii XIII. jussu anno 1584. promulgata fuit, quæque nunc in Sancta Romana Ecclesia obtinet, nonnulla mutata sunt: videlicet: 8. *Aprilis Ferentini S. Redempti Episcopi, cujus meminit B. Gregorius Papa.* 14. Maji: *Ferenti in Tuscia S. Bonifacii Episcopi, qui (ut refert B. Gregorius Papa) a pueritia sanctitate, & miraculis claruit.*

III. *Ostenditur S. Redemptum Ferentinæ in Tuscia, non in Hernicis, civitatis Episcopũ fuisse, ex verbis S. Gregorii Papæ, & ex priori editione Martyrologii Romani.*

III. De Bonifacio egimus capite antecedenti, eumque ostendimus fuisse Ferentinorum in Tuscia, non in Hernicis Episcopum. Nunc de S. Redempto inquirendum, cui Ferentinæ urbi Antistes præfuerit? in Tuscia, an in Hernicis?

S. Gregorius Papa tam Redemptum, quam Bonifacium vocat *Ferentinæ civitatis Episcopum*, ut ex titulis libri 1. cap. 9., & libri 3. cap. 38. liquet. Quum igitur certum sit, de Ferentina Tusciæ urbe loqui Sanctum Pontificem cap. 9. libri 1. ex his verbis, quæ caput octavum claudunt, *vis tibi aliquid de Tusciæ partibus narrem?* quemadmodum Maurini Patres in notis ad hunc locum observant; sequitur, eumdem de eadem Ferentina Tusciæ civitate intelligendum esse, dum cap. 38. lib. 3. Redemptum appellat *Ferentinæ Civitatis Episcopum*. Eodem enim utrobique nomine civitatem eamdem appellat. Quod si de diversis civitatibus loquutus fuisset, proculdubio discrimen inter utramque posuisset; & quemadmodum Ferentinam Tusciæ urbem, cui Bonifacius præfuit, diserte vocavit; ita & alterius Provinciæ nomen ad Ferentinam urbem, quam Redemptus Episcopus rexit, adjunxisset, si alia fuisset ab ea, quam lib. 1. cap. 9. designaverat. Hinc in prima editione Martyrologii Romani

ni, ut ſupra diximus, non diſtinguitur Ferentina civitas, cui Bonifacius præfuit, ab ea, quam Redemptus Epiſcopus adminiſtravit; ſed utrobique dicitur: *Ferentini S. Bonifacii Epiſcopi*: *Ferentini S. Redempti Epiſcopi*: in Tuſcia nimirum, non in Latio, ſeu in Hernicis. Nam in eadem editione quum ad diem 16. Auguſti de Ferentino in Hernicis agitur, non Ferentinum abſolute vocatur, ſed cum addito, in Latio; *Ferentini in Latio S. Ambroſii centurionis*; ſeu, ut habet ejuſdem Martyrologii editio, quam Baronius notis illuſtravit: *Ferentini in Hernicis S. Ambroſii centurionis*. Ex quo colligitur, veteres omnes, qui priorem illam Martyrologii Romani editionem anteceſſerunt, in ea ſententia fuiſſe, eidem Ferentinæ in Tuſcia Cathedræ, tam Bonifacium, quam Redemptum Epiſcopos præfuiſſe.

IV. Baronius, quod ſciam, primus fuit, qui Redemptum Ferentinatium in Hernicis Epiſcopum fuiſſe ſcribit; etſi enim in notis ad diem 8. Aprilis hac de re nihil ſtatuit, ſed ſimpliciter eum Ferentini fuiſſe Epiſcopum affirmat, eumdemque ac illum, *de quo S. Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 38. meminit*: in Topographico tamen indice, quem Martyrologio Romano notis a ſe illuſtrato ſubtexuit, diſertis verbis ait, non in Tuſcia, ſed in Hernicis illum Ferentinatibus præfuiſſe: ſic enim habet: *Ferenti in Tuſcia Bonifacius Epiſcopus* 14. *Maji*. *Ferentini in Hernicis*. *Ambroſius Martyr*, 16. *Auguſti*. *Eutychius Martyr*, 15. *Aprilis*. *Redemptus Epiſcopus* 8. *Aprilis*. In ipſo quoque Martyrologio, in quo S. Eutychii commemoratio his olim verbis colebatur, *Ferentini*, *Sancti Eutychii Martyris*; emendandum cenſuit, *Ferentini in Hernicis S. Eutychii Martyris*: & notam hanc appoſuit: *meminit ejus Eccleſiæ S. Gregorius Papa lib. 3. Dialog. cap. 38. in Redempto Epiſcopo*. Quibus verbis palam facit, Redemptum etiam Epiſcopum Ferentinæ in

IV.
Baronius, Ferrarius, Ughellus, & alii nonnulli non recte ſtatuunt, S. Redemptum in Hernicis Ferentinum fuiſſe Epiſcopum.

in Hernicis civitatis fuiſſe. Baronium ſequuti ſunt Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ, Patres Maurini in notis ad S. Gregorium, Ughellus in Italia ſacra, & alii.

V.
Hanc Baronii, aliorumque ſententiam, quam ãtea tenuerat, Hẽschenius poſtea retractat.

V. His tamen non obſtantibus tam certum videtur eſſe, Redemptum Ferentinæ in Tuſcia urbi præfuiſſe, quam certum eſt unius, ejuſdemque civitatis Cathedram Bonifacium antea tenuiſſe. Henſchenius in Actis Sanctorum, priorem Baronii ſententiam amplexus fuerat anno 1675. ad diem 8. & 15. Aprilis, ubi de SS. Redempto Epiſcopo, ac Eutychio Martyre agit: verba ejus hæc ſunt tom. 1. April. pag. 752. *De Sancto Redempto Epiſcopo Ferentini in Latio*. Ibidem. *Ferentinum urbs antiqua Latii in finibus Hernicorum*. Et infra. *Inter Epiſcopos fuit Sanctus Redemptus, cui hic VIII. Aprilis dies ſacer habetur. Quo etiam die*, inquit, *in Martyrologio hodierno hoc elogio exornatur: Ferentini in Hernicis S. Redempti Epiſcopi, cujus meminit S. Gregorius Papa*. Tomo autem 2. pag. 378. *De Sancto Eutychio Martyre Ferentini in Hernicis, egimus VIII. Aprilis, ad acta S. Redempti ejuſdem urbis Epiſcopi, & quæcumque ſciri poſſunt de hoc S. Martyre Eutychio, iſtic protulimus ex lib. 3. Dialogorum S. Gregorii cap. 38.*, ubi typographorum oſcitantia legitur *cap.* 28. Sed Henſchenius ipſe re maturius perpenſa, ac viſis ejuſdem S. Eutychii Martyris, aliorumque actis, ſententiam mutavit anno 1680. tom. 3. Maji pag. 458. ad diem 15. Maji, ubi de *Sancto Eutychio*, ſive Eutitio, *Presbytero Martyre apud Surianum in Etruria agit*. Fatetur enim tam hunc Eutychium Presbyterum, quam Redemptum Epiſcopum, Ferenti in Tuſcia, non Ferentini in Hernicis claruiſſe. Relatis ſiquidem ex Ferrario actis S. Eutychii, expreſſis verbis notat, *indicatum ab illo Ferentum fuiſſe urbem Etruriæ olim Epiſcopalem, ex cujus antiquis ruinis paulatim crevit Viterbium*. Quumque

ejuſ-

ejusdem Eutychii Martyrium ex actis etiam Sanctorum Valentini Presbyteri, & Hilarii Diaconi, nec non Gratilani, & Felicissimæ illustrasset, subjungit de eodem Eutychio Martyre pag. 459. *Insignis hujus Sancti memoria exstat apud Sanctum Gregorium lib. 3. Dialog. cap. 38. Redemptus Ferentinæ civitatis Episcopus.* Reliqua. Quæ igitur Henschenius Tom. 1. & 2. Aprilis de Redempto Ferentino in Hernicis Episcopo dixerat, hæc ipse Tom. 3. Maji retractat, eundem Redemptum non in Hernicis, sed in Etruria Episcopum Ferentinum affirmans.

VI. Idipsum sine ulla hæsitatione post Henschenium statuit cl. Tillemontius Tom. 5. hist. Eccles. art. 50., ubi agit de Martyribus Viterbiensibus. Ibi enim disserte affirmat, S. Eutychium Presbyterum fuisse Ferentii in Tuscia: *Hæc historia*, inquit, (nimirum acta S. Eutychii quæ apud Bollandianos die 15. Maji referuntur:) *docet hunc Sanctum fuisse Presbyterum Ecclesiæ Ferentinæ, quæ olim urbs Episcopalis in Tuscia fuerat, sed excisa postmodum fuit, itaut ex ipsius ruinis Viterbium ædificatum sit.* & infra. *Sanctus Gregorius Papa (lib. 3. Dialog. cap. 38.) refert celebrem apparitionem S. Eutychii Martyris, Redempto Ferentino Episcopo factam, qua Longobardorum irruptionem in Italiam prænunciavit. Id Sanctus Gregorius ab eodem Redempto didicit, resque erat omnibus nota. Redemptus enim, quum inter alias suæ Diœceseos Ecclesias etiam S. Eutychii Ecclesiam visitaret, juxta Sancti sepulcrum quiescebat, dum hanc visionem habuit; adeoque dubitari nequit, quin hic Sanctus Eutychius fuerit, de quo loquimur.* Hæc Tillemontius.

VI. Tillemontius, Cima, Pennatius, & Marianus affirmant, Ferentinæ in Etruria urbi S. Redemptum Episcopum præfuisse.

In serie Episcoporum Viterbiensium, seu Tuscaniensium, quam eruditæ dissertationi de *Etruria Metropoli* cl. Franciscus Mariani Vaticanæ nostræ Basilicæ Beneficiatus, & Bibliothecæ Græcus Scriptor, subtexuit, quæstionem hanc doctis viris examinandam re-

linquit, an videlicet *Sanctus Eutychius qui anno* 306. *Episcopi vices*, (ut ipse opinatur) *gerebat, quemadmodum ex actis SS. Valentini & Hilarii Martyrum, atque ex iis S. Demetrii ab Henschenio laudatis confirmatur, idem sit cum Eutychio Presbytero, qui Ferentini fuisse legitur in actis SS. Graciliani, & Felicissimæ, atque ex S. Gregorii libro tertio Dialogorum.* Idem tamen in altera Italica Dissertatione de antiquitatibus Viterbii, quæ Romæ anno 1730. typis Joannis Zempel prodiit, ubi Annium adversus Latinum Latinium pag. 63. propugnat, ipsum Latinium oscitantiæ arguit, quod quum Viterbiensis esset, adeoque Ferentinos Tusciæ Episcopos nosse debuisset, quumque notas eruditas in Baronii Martyrologium, ejusdem Baronii rogatu, fecisset, non advertit tamen invectum in illud Martyrologium errorem, quo dicitur, Redemptus Episcopus, & Eutychius Martyr *Ferentini in Hernicis*. Verba ejus accipe. *Cardinalis Baronius emendandum ipsi* [Latinio] *dedit suum Martyrologium, in quo optimas quidem, ac eruditissimas fecit observationes, quæ in ejus margine visuntur, & in Bibliotheca sacra, ac profana, quam Canonicus Macrius collegit, typisque vulgavit. In eo Martyrologio de S. Redempto agitur Ferentino Episcopo. Hic autem non Ferentini in Campania fuit Episcopus, sed Ferentis, quæ quum a nostris* (Viterbiensibus) *excisa esset, urbem nostram venerandis suis Reliquiis locupletavit. At Latinius nihil horum sciebat, neque id emendavit. Item die* 15. *ejusdem mensis legitur sic*: Ferentini in Hernicis S. Eutychii Martyris. *Hujus quoque partem aliquam corporis habemus in Ecclesia S. Mariæ novæ; estque certum, ipsum sepultum fuisse paulo longius a Viterbio, prope Sorianum, ubi plurima illius exstant monumenta, Ecclesia nimirum vetustissima: ossa, è quibus manna profluit, ac stupenda quotidie miracula prodeunt. Adsunt etiam perantiquæ inscriptiones, atque traditio*

tio omnium circumquaque regionum, quemadmodum unicuique compertum, exploratumque faciunt Bollandiani, & accurata vita, quam in lucem emisit Reverendissimus D. Splendianus Pennatius Vicarius Generalis primum quidem Balneoregii, nunc autem Urbis veteris. Hujus quoque Sancti meminit S. Gregorius lib.3. cap.38. Dialogorum, qui tamen hoc unum de illo affirmat, fuisse nimirum Ecclesiæ Ferentinæ Episcopum. *Verum id satis esse debuit, ut Latinius animum adverteret, eoque magis, quia Sanctus Doctor non habet in Hernicis; Ferentinates autem nullam hujus, vel alterius memoriam servant.*

Qui igitur in Etruria Metropoli id unum sibi proposuerat, ut ostenderet, S. Eutychium Episcopi Viterbiensis, seu Tuscaniensis fortasse vices gessisse, non ipse quidem definiens, sed aliis indagandum relinquens, an idem quoque Eutychius is fuerit, qui Ferenti Presbyter in actis Sanctorum Martyrum Viterbiensium dicitur; inspectis postea, perpensisque iis, quæ de eodem S. Eutychio cl. Pennatius scripsit, dubium omne exuit cl. Franciscus Mariani, remque adeo claram esse ac manifestam judicavit, Ferentinos scilicet fuisse in Tuscia Redemptum Episcopum, atque Eutychium Presbyterum, de quibus S. Gregorius Papa loquitur, ut conterraneum suum Latinium, virum doctrinis omnibus instructum, inscitiæ atque oscitantiæ arguere non dubitaverit, eo quod talem tantamque Baronii, ut inquit, allucinationem, *Ferentinum in Hernicis*, pro *Ferentino in Etruria* oppido statuentis, dum doctas ipsius in Martyrologium Romanum adnotationes expenderet, non adverterit, neque emendaverit. Id sane amicissimus, ac pereruditus Auctor ex Henschenio, atque Tillemontio æque colligere poterat, quorum uterque disertis verbis, ut supra vidimus, docuerat, tam Redemptum Episcopum, quam Eutychium Presbyterum a S. Gregorio

 Ma-

Magno laudatos, in Tuſcia claruiſſe: ſed Splendianum Pennatium præ aliis laudat; tum quia ipſe omnium uberrime quæſtionem hujuſmodi tractat; tum quia pater ipſius Theſeus Pennatius primus fuit, qui cl. Godefridum Henſchenium, miſſis ad ipſum S. Eutychii Ferentini in Tuſcia Presbyteri ac Martyris actis, a præconcepto de Ferentina in Latio civitate errore ad eam ſententiam traduxit, quam Tom. 3. Maji pag. 459. amplexus eſt, aliiſque amplectendam tradidit. Non ſolum autem Theſeum Pennatium citat Henſchenius; ſed Tullium etiam Cimam, qui acta S. Eutychii è Latina in Italicam linguam vertit, & anno 1658. Roncilione in Patria ſua curavit excudenda. Verba Henſchenii hæc ſunt num. 5. *Interim Claudium etiam nominat Legenda S. Eutitii, quam ex ſuorum Majorum chirographis nobis ſub fide publica tranſmiſit Latinam Theſeus Pennatius a Soriano, publicus Dei gratia, & Apoſtolica auctoritate Notarius, in Archivo Romanæ Curiæ deſcriptus, & fori Epiſcopalis dictæ Terræ Suriani in civilibus, & criminalibus Cancellarius.* & num. 6. *Vix tamen dubitant Surianenſes, quin manuſcriptum, quod diximus a Theſeo Pennatio inter majorum chirographa repertum, ipſum illud ſit, quod quærebatur: ſic enim habet veteris illius ecgraphi titulus*: Martyrium S. Eutitii Ferentini extractum de Catalogo veteri, qui aſſervatur Viterbii in Eccleſia Cathedrali S. Laurentii. *Tullius etiam Cima ait, illud ipſum in Archivo Epiſcopali Hortæ inveniri regiſtratum, quale anno 1649. Soriani reperit, quum iſtic Gubernatorem ageret, Italiceque reddendum tranſcribi faceret.* Quamquam nonnulla ſint, quæ in Tullio Cima, atque in Henſchenio Splendianus Pennatius pag. 362. & ſeq. reprehendit, quæque nos ſuo loco notabimus; ex his tamen conſtat, Henſchenium ipſum ea omnia de Sanctis Redempto Epiſcopo, & Eutychio Presbytero hauſiſſe, quæ ibi, rei veri-

veritate ex authenticis monumentis comperta, retractat. Debemus igitur primum Theſeo Pennatio, qui acta illa, quæ diu in obſcuro latuerant, in publicam lucem proferendo, id effecit, ut communi, in quo hactenus eruditi vixerant, errore Henſchenius depoſito, Redemptum, ac Eutychium Ferentinis in Tuſcia reſtitueret. Debemus etiam Splendiano Andreæ Pennatio Theſei filio, qui titubantes adhuc Auctores, edito de vita S. Eutychii Presbyteri, ac Martyris præclaro Commentario, hac de veritate ſic confirmavit, ut nullus cuiquam, meo judicio, dubitandi locus amplius relinquatur. Argumenta, quæ idem Pennatius producit, adeo clara ſunt, ut nulla ratione infringi poſſint.

VII. *Argumenta pro Ferentina Tuſciæ civitate, ubi Sanctorum Redempti & Eutychii Eccleſiæ, Reliquiæ Imagines, acta, dies Feſtus: nihil horum in Ferentino Campaniæ oppido.*

VII. In hiſtoria (inquit pag. 96. & pag. 255.) quam S. Gregorius Papa lib. 1. cap. 38. de SS. Redempto Epiſcopo & Eutychio Martyre narrat, tria ſunt expendenda, quæ certio certius demonſtrant, id factum in Ferentina Tuſciæ, non Latii civitate contigiſſe. Primum eſt, quod ait S. Gregorius: *Redemptus Ferentinæ Civitatis Epiſcopus quadam die, dum Parochias ſuas ex more circuiret.* Alterum, quod idem ſubjungit; *Pervenit ad Eccleſiam Beati Eutychii Martyris.* Tertium denique, quod addit: *Adveſperaſcente autem die ſtratum fieri ſibi juxta ſepulcrum Martyris voluit, atque ibi poſt laborem quievit, quum nocte media..... ante eum idem Beatus Martyr Eutychius adſtitit.* Hæc autem omnia Ferentinum in Tuſcia, non in Hernicis oppidum evidenter deſignant; nam & locus ille inter Parochias Ferentinæ civitatis tunc temporis numerabatur, ubi etiamnum, videlicet in Soriano, habetur Eccleſia antiquiſſima S. Eutychii Martyris cum crypta, & prædiolo, ut in ipſius actis legitur: & in hac Eccleſia viſitur ejuſdem Sancti Martyris ſepulcrum. At vero Ferentinates in Latio, ſeu in Hernicis, neque in ipſa civitate, neque in ejus Diœ-

Diœcesi habuere, vel habent Ecclesiam S. Eutychii, aut ipsius Sepulcrum, seu ullam Actorum ejus memoriam, aut saltem aliquam sacrarum Reliquiarum partem.

VIII. *Enumerantur Ecclesiæ & Reliquiæ Ferentini Campaniæ: ubi nihil de SS. Redempto & Eutychio.*

VIII. Ughellus Italiæ Sacræ Tom. 1. ubi agit de Ferentinis in Latio Episcopis, Redemptum quidem inter ipsos ex communi errore censet; sed quum duo authentica instrumenta profert, alterum anno 1196. tempore Berardi Episcopi, & Joannis de Ceccano Comitis; alterum anno 1209. sub Alberto Episcopo confectum, in quibus Ecclesiæ S. Mariæ Fluminis, Sanctorumque Matthæi & Jacobi dedicatæ dicuntur; plurimas quidem ibi Sanctorum Reliquias repositas narrat; Redempti vero, aut Eutychii ne vestigium quidem. Sic autem habet pag. 723. *Sermone finito* (VIII. Kalendas Augusti, anno 1196. Indictione XIII.) *Altare majus, quod est in medio Ecclesiæ S. Mariæ situm, consecratum est per manus Domini Berardi venerabilis Ferentinatis Episcopi, assistentibus, & cooperantibus ei Domino Jordano venerabili Cardinali S. R. E., & Domino Joanne venerabili Anagnino Episcopo, ad honorem Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & gloriosissimæ Virginis Mariæ Matris Domini nostri Jesu Christi; de Reliquiis istis, de Ligno Domini, de Vestimento Beatæ Mariæ, Petri Apostoli, Jacobi Apostoli, Marci Evangelistæ, Laurentii Martyris, Sebastiani, & sociorum ejus, Sanctorum Innocentium, Marii, Marthæ, Audifax, & Abacuc, Stephani Papæ, de lapide S. Stephani Protomartyris, Crysanthi, & Dariæ, & sociorum ejus, Eventii, & Alexandri, Cæsarii Martyris, Aureliæ, Superantiæ, de vestimento Sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi. Ipso die, & ipsa hora consecratum est Altare S. Pauli Apostoli, quod est situm in porticu prædictæ Ecclesiæ per manus Domini Oddonis venerabilis Verulani Episcopi. De Reliquiis istis: Marcel-*

cellini & Petri, Marci & Marcelliani, Mauritii Martyris, Naboris Martyris, Abundii, Nerei, De sanguine Beatæ Lucillæ, Secundinæ Virginis. Eo die & eadem hora Altare sancti Quirici, quod est situm in alio porticu sæpe nominatæ Ecclesiæ, consecratum est per manus Domini Thaddæi venerabilis Alatrini Episcopi. De Reliquiis istis, de Ligno Domini, de Petra Sepulcri, Sebastiani, quadraginta Martyrum, & Barbaræ. Ipso die, & ipsa hora Ecclesia Beati Matthæi Apostoli, quæ est juxta sæpe dictam Ecclesiam, cum altare consecrata est per manus Domini Petri venerabilis Episcopi Signini, assistente, & cooperante ei Domino Tedelgario venerabili Tarracinensi Episcopo. De Reliquiis istis, de vestimento Virginis Mariæ, Philippi, & Jacobi, Marci & Marcelliani, Chrysanthi & Dariæ, Concordii Martyris, & aliorum Sanctorum, quorum nomina Deus novit. Pagina autem 726. *Hac die* (videlicet Kalendis Maji anno 1209. Innocentii Papæ Tertii anno 12.) *consecratum est altare Ecclesiæ Beati Jacobi Apostoli, quæ posita est juxta Pontem Ceccanum, per manus Domini Alberti Episcopi Ferentini. De Reliquiis Sanctorum Apostolorum Philippi, & Jacobi, Sancti Stephani Protomartyris, Sancti Nicolai Confessoris, Beati Blasii Martyris, Sanctæ Barbaræ Virginis, & Sanctorum Martyrum Chrysanthi, & Dariæ, & sociorum ejus, Eleutherii Episcopi, & Martyris, Ambrosii Martyris, Pontiani Martyris, Marcellini & Petri, & aliquorum, quorum nomina Deus novit.* Idem Ughellus, tam ex laudatis Instrumentis, quam ex aliis Ferentinatium monumentis, præter memoratas S. Mariæ Fluminis, S. Matthæi, & S. Jacobi Ecclesias, Sanctorumque ibi, & in Altaribus S. Pauli Apostoli, & S. Quirici, repositas Reliquias, memorat pag. 721. *Ecclesiam Cathedralem*, in qua servatur sacrum Ambrosii Maurtyris corpus tamquam Protectoris, Patronique Ferentinensium: Reliquiæ insuper S. Cœ-

S. Cœlestini V. Papæ & Confessoris. Demum pag. 724. & pag. 726. quatuor alias Ecclesias, nimirum S. Joannis, S. Petri, S. Quintini, & S. Stephani. Quod si Redemptus Ferentinatium in Latio fuisset Episcopus, aut ibi Eutychii Martyris corpus, Gregorii Magni temporibus tam celebre, in dicata sibi Ecclesia cultum habuisset, nonne aliqua esset in Ferentina illa urbe, aut ejus territorio, Redempti Episcopi, vel Eutychii Martyris Ecclesia, aut memoria? Quum igitur ibi non corpus, non sepulcrum, non lapides, non acta, non dies festus, nulla demum monumenta reperiantur; quis dixerit, Redemptum Episcopum, & Eutychium Martyrem ad illos Ferentinates omnino pertinuisse?

IX. *Imagines SS. Redempti Episcopi, & Eutychii Martyris non procul ab antiqui Tusciæ Ferētii ruinis.*

IX. Contra, qui in Tuscia sunt Ferentini, eorumque finitimi Viterbienses, Hortani, atque Sorianenses, Ecclesias pervetustas habent, utrique Sancto nuncupatas: eorum Reliquias servant, diem festum agunt, missas celebrant, & officium, ac perpetuam commemorationem recitant. Exstat Pennatio teste pag. 256., antiqua Capella erecta in prædio Patrum Dominicanorum, haud procul ab antiqui Ferentii ruinis in Tuscia, in qua visitur manu vetere depicta *Imago B. Mariæ Virginis, S. Cataldi Episcopi, S. Bonifacii Episcopi, Sancti Redempti Episcopi Ferentii, & S. Eutychii Martyris, Sacerdotalibus indumentis ornati.*

X. *Reliquiæ S. Redempti in Viterbiensi Ecclesia.*

X. Præterea ejusdem Redempti Episcopi Reliquiæ, quum Ferentium a Viterbiensibus excisum fuisset, Viterbium sunt translatæ, ibique in Ecclesia Cathedrali repositæ, ut supra ex clar. Francisco Mariani vidimus. Idque ipsum testatur Pennatius pag. 256. his verbis: *Confirmatur pariter ex fide, qua pie creditur, Corpus S. Redempti asservari Viterbii inter multiplices Reliquias è civitate Ferenti translatas [ut lib. 1. cap. 1. Vitæ S. Eutychii narravimus :] quæ in Cathedrali, & in Ecclesia Collegiata S. Sixti coluntur, licet ad oculum*

Cor-

Corpus S. Redempti nequeat assignari, quoniam complures ex illis Reliquiis clausæ, & obsignatæ invisuntur.

XI. Ipsius quoque S. Eutychii Reliquiæ, & Ecclesiæ exstant Viterbii, Suriani, & Carboniani. Viterbii quidem, *SS. Dionysii Episcopi, & Eutychii Presbyteri ossa quædam* mense Decembri anno 1676. in Parochiali Ecclesia S.Mariæ novæ reperta sunt in arca lapidea cum hac Epigraphe: *Hic requiescunt corpora Sanctorum, Dionysii Episcopi, & Eutychii Presbyteri. Ima tenet unum, summa alterum depositum*: cujus inventionis Instrumentum in Archivo Cancellariæ Episcopalis Viterbii descriptum refertur a Bollandianis Tom.7. Maji in appendice ad Acta S.Eutychii pag.775., & a Pennatio pag.102.

XI. *Reliquiæ Sancti Dionysii Episcopi Ferentini in Tuscia, & Sancti Eutychii Mart. in urbe Viterbiensi.*

XII. In Surianensi autem oppido adhuc manet pervetusta S. Eutychii Ecclesia in Crypta, ubi olim a S. Dionysio Episcopo idem Sanctus Presbyter sepultus fuit, & nunc etiam sacrum illius corpus colitur, ut constat ex Instrumento Inventionis ejusdem Corporis die 15. Maji anno 1496. ab Henrico Bruno Episcopo Hortano confecto, cujus archetypum servatur penes Confraternitatem ejusdem Sancti Martyris Suriani erectam; exemplum autem prodiit studio, & opera Bollandianorum Patrum Tom.3. Maji pag.461. Initium: *Quum populus, & universitas terræ Suriani, Civitatis Hortanæ nostræ Diœcesis, tam ex relatione majorum suorum, quam etiam ex vetusta, & antiquata consuetudine, ac etiam ex compluribus miraculis in compluribus personis factis, & concessis a devotissimo Sancto Eutitio, quem Ecclesia canonizavit, eum pro peculiari Sancto, & singulari Protectore apud divinam clementiam colere, ac devota mente, & animi affectu maxime venerari consueverint; venerabilem Ecclesiam in eorum territorio extra muros Suriani situatam sub nomine dicti Sancti, collapsam tamen vetustate, cupien-*

XII. *Ecclesia, & Corpus S. Eutychii Martyris apud Surianum.*

pientes debitis honoribus resarcire, & juxta eorum facultates exornare. Reliqua. Ex quo Instrumento constat, corpus S. Eutychii inter rudera Ecclesiæ instaurandæ, in arca marmorea a Surianensibus inventum, & ab Alexandro VI. commissam ejus rei inspectionem Henrico Bruno Episcopo Hortano, ejusdem Pontificis, & Sacri Collegii Secretario, qui locum adiit, omnibusque examinatis, declaravit, esse verum corpus S. Eutychii per publicum Instrumentum die & anno, ut supra: idque testatum ipse Episcopus voluit, hoc marmoreo lapide ad perpetuam rei memoriam ibidem apposito: *Reliquias Euticii Martyris inter rudera lapideo scypho repertas, jubente Alexandro VI. Pont. Max. Henricus Episcopus Hortanus heic locandas coeravit Idibus Maji MCCCCXCVI.* Hanc inscriptionem profert Ughellus tom. 1. de Hortanis Episcopis pag.801. sed mendis scatentem: sic enim habet: *Reliquiæ S. Euthitii Martyris inter rudera in sypho lapideo repertas jubente Alexandro sexto, Henricus Episcopus Hortæ in hac marmorea archa locandas curavit Idus Maji MCCCCXCVI.*

XIII. *Reliquiæ S. Eutychii Mart. in oppido Carboniani.*

XIII. Denique in oppido Carboniani exstat Ecclesia ejusdem S. Eutychii Martyris cum Reliquiis ipsius, hoc est, *Crure*, de quibus Floravantes Martinellius in opusculo Romæ edito anno 1694. de eodem Carbonianensi oppido cap.5. & 6., & Pennatius pag.129. & seq.

XIV. *Memoria S. Eutychii apud Bassanellum Etruriæ oppidum.*

XIV. Missum facio, quod de eodem S. Eutychio scribunt docti viri Justus Fontaninus de antiquitatibus Hortæ lib.1. cap.6. pag.109. Andreas Guidi apud Bollandianos Tom.2. Maji in appendice ad diem V. pagin.797., & Landus Leoncini apud Pennatium in vita S. Eutychii lib.4. cap.4. pag.92., ubi curam ejusdem S. Eutychii in sepeliendis Christianorum corporibus ex majorum traditione commendantes, eamdem probant ex sepultura S. Landi, seu Lanni Martyris apud Bassanellum Etruriæ oppidum, quam ab eo fuisse curatam

tam

tam, ajunt agnitum esse in ipsius Landi corporis inventione; eo quod pariter inventus sit laterculus cum hac inscriptione : *Lannus Christi Martyr hic requiescit sub* (*E. P. S.*) *Diocletiano passus* : cujus quidem inscriptionis tres illas literas *E. P. S.*, nemo dubitavit sic legere : *Eutychius Presbyter sepelivit* . Missum, inquam, id facio; etsi enim inscriptio illa, Fontanino, Leoncino, ac Pennatio judicibus, eum sensum reddere potest, ut inde colligatur etiam in Bassanello memoriam S. Eutychii nostri exstare; debile tamen id argumentum cl. viri Henschenius, & Papebrochius tom.2. Maji pag.797. vocant: & jure quidem, meritoque : *quis enim non videt, literas illas multiplici sensui posse aptari, prout cuique in mentem venerit divinare? certe eodem jure, quo isti E legerunt* Eutitium, *alius quivis legeret* Episcopum, *& intelligens aliquem Hortanorum Episcoporum, quorum nomina exciderunt (excidisse enim plura liquet ex eorum serie apud Ughellum tom.1. Ital. Sac. col.778.) istas literas sic enunciaret*, Petrus, *vel* Paulus Episcopus sepelivit, *vel*, posuit Episcopus Stephanus, *puta is, qui Romano Concilio dicitur interfuisse anno DCCCXXVI.*

Ut ut est, incertis omissis, certa producimus : Ecclesias nimirum S. Redempto Episcopo, & S. Eutychio Presbytero & Martyri, Ferentii, Suriani & Carboniani nuncupatas : eorumdem Reliquias Viterbii, Suriani, atque Carboniani cultas: acta in Ecclesiis Viterbii, Suriani, & Hortæ servata: Sepulcrum denique in crypta, seu Ecclesia Surianensi celeberrimum. Quæ omnia id evidenter ostendunt, quod supra diximus: nimirum Redemptum fuisse Ferentinorum in Etruria Episcopum, inque ea Diœcesi Ecclesiam S. Eutychii Martyris sitam, de qua S. Gregorius Papa scribit.

XV. *Quo tempore vixerit S. Redemptus Ferentinus Episcopus.*

XV. Porro ex ejusdem S. Gregorii narratione, quam de Redempto Episcopo, deque Eutychio Martyre refert, colligitur, quo tempore floruerit S. Re-

demptus. Ait Gregorius Papa de eodem Redempto loquens: *Hic, ſicut mihi adhuc in Monaſterio prope poſito valde familiariter jungebatur, hoc quod Joannis junioris prædeceſſoris mei tempore de mundi fine cognoverat, ſicut longe, lateque claruerat, a me requiſitus, mihi ipſe narrabat.* Et, quum oblatam eidem Redempto de mundi fine a S. Eutychio viſionem narraſſet, ſubjungit: *mox illa terribilia in cœlum ſigna ſequuta ſunt, ut haſtæ, atque acies igneæ ab Aquilonis parte viderentur. Mox effera Longobardorum gens de vagina ſuæ habitationis educta, in noſtram cervicem graſſata eſt: atque humanum genus, quod in hac Terra præ nimia multitudine quaſi ſpiſſæ ſegetis more ſurrexerat, ſucciſum aruit; nam depopulatæ urbes, everſa caſtra, concrematæ Eccleſiæ, deſtructa ſunt monaſteria virorum, ac feminarum, deſolata ab hominibus prædia, atque ab omni cultore deſtituta in ſolitudine vacat terra: nullus hanc poſſeſſor inhabitat, occupaverunt beſtiæ loca, quæ prius multitudo hominum tenebat.* Joannes junior Papa, ſub cujus Pontificatu viſio prædicta contigit, eſt Joannes III. qui ſedit juxta Henſchenium tom. 1. Apr. pag. 752. ab anno 559. ad annum 572.; juxta Pagium juniorem in Breviario ſect. 6. num. 1. & 6. ab anno 560. ad ann. 573.), & juxta Papebrochium in conatu Hiſtorico tom. 4. Maji pag. 87. ab anno 561. ad annum 574. quo deceſſit. At maxima Longobardorum irruptio contigit anno 566. ut vult Henſchenius: ſeu, 567., aut 568. ut Baronius & Pagius exiſtimant: adeoque viſio illa facta eſt eodem anno, quum S. Gregorius dicat: *Tunc vir Dei ſurrexit, ſeque in orationis lamentum dedit: mox enim illa terribilia in cœlum ſigna ſecuta ſunt*: quibus verbis ſignificat, paulo poſt eam viſionem ea ſigna ſecuta fuiſſe, & Longobardorum in Italiam irruptionem contigiſſe. Superfuit vero S. Redemptus uſque ad annum circiter 586., & ſic annis fere ſeptem mortuus fue-

fuerat, quum S. Gregorius anno 593. vel 594. Dialogorum libros conſcriberet: idem enim initio hujus capitis 38. lib. 3. de Redempto ſcriptum reliquit: *nam Redemptum Ferentinæ Civitatis Epiſcopum, vitæ venerabilis virum, qui ante hos fere annos ſeptem ex hoc mundo migravit, tua dilectio cognitum habuit*. Sederit ergo Redemptus, neceſſe eſt, in Ferentina Tuſciæ Cathedra poſt Bonifacium, & ante Marcianum, cujus ſubſcriptiones in Romanis ſub eodem Gregorio Magno Conciliis anni 595. & 601. in Labbeana collectione habentur.



CA-

CAPUT IV.

De S. Eutychio Ferentino Presbytero & Martyre.

I. *Quod S. Eutychius Ferentinus Presbyter, ac Martyr idẽ sit, qui a S. Gregorio laudatur & in Ecclesia Surianensi colitur.*



I. EX iis, quæ de S. Redempto Ferentino in Etruria Episcopo dicta sunt, liquet, *Eutychium Martyrem*, cujus Ecclesiam ille dum Parochias suas ex more circuiret, visitavit: cujus ad sepulcrum fieri sibi stratum voluit, atque ibi post laborem quievit: qui demum vigilanti Episcopo astitit, dicens: *Redempte vigilas? Finis venit universæ carnis*: Martyrem, inquam, Eutychium eumdem esse, qui sub Dionysio Ferentino Episcopo Ecclesiam illam Presbyter exornabat: qui in actis SS. Martyrum Valentini, & Hilarii, Gratiliani & Felicissimæ, atque Secundi laudatur: qui Martyrium denique pro Christi fide passus, in crypta apud Surianum oppidum fuit sepultus.

II. *Quatuor Codices Mss., quibus ejusdem S. Eutychii martyrium continetur, ex autographo Ferentino descripti. I. Hortanus. II. Alemannianus. III. Cencianus. IV. Pãphilianus.*

II. Hæc confirmantur ex pervetusto manuscripto, in quo vita ejusdem Martyris describitur: quo de Codice, deque iis, qui ex ipso descripti sunt, hæc Pennatius pag. 273. *Ex hoc igitur autographo actorum S. Eutychii Martyris* (quod certe olim in Ferentina urbe servabatur, sed ea postmodum excisa, deperditum fuit, aut in civitatem Viterbiensem translatum) *Ex hoc*, inquam, *autographo quatuor sunt usque ad hanc diem reperta apographa, seu exemplaria manuscripta Actorum S. Eutychii Martyris: videlicet unum Hortæ, tria vero Suriani, a quibus Ferrarius exemplum fatetur accepisse, ex quo epitomen ipse digessit. I. Primum igitur manuscriptum, quod post varios labores*

bores , summasque diligentias a meo genitore Theseo Pennatio , dum in humanis agebat , impensas , sed in cassum ; tandem anno supra millesimum septingentesimo decimo octavo , urgente R. D. Hieronymo Anselmo Cherubino meis precibus , quondam amantissimo collega , in Cancellaria Episcopali Civitatis Hortanæ repertum esse in Codice memorabilium Hortanorum pag.61. quod damus primo loco hac nota compendiaria signatum , MS. H., *idest ,* Manuscriptum Hortanum . *Fuit hujus exemplar exscriptum a D. Dominico Altanese , ac deinceps illud cum Archetypo contulit diligentia R. D. Antonii Cozzii. Hoc manuscriptum multis amanuensis scatet nævis , & erroribus in interpunctione , & orthographia : scribit enim* Martir , Præsbyter , blasfemat , Eutichius *sine y , ut alibi est animadversum . Præfert autem hanc epigraphen .* Vita S. Eutychii Presbyteri Martyris , sumpta , & copiata ex quodam antiquissimo Catalogo . *Antiquissimus , quem innuit , Catalogus est citra omnem controversiam Autographum Ferenti exaratum , de quo supra . Minus apte ab amanuensi hæc acta intitulantur* Vita S. Eutychii , *uti etiam intitulavit Henschenius: quia martyrium , non vitam Sancti Martyris referunt. Non ita alia manuscripta afferenda , excepto Pamphiliano . II. Suriani cura & labore Thesei Pennatii genitoris mei tria sunt manuscripta actorum S. Eutychii Martyris inventa . Primum manuscriptum , quinque distinctum Lectionibus , fuit ab autographo Ferentino in Cathedrali Viterbiensi asservato , ut diximus , exscriptum a quodam Jodoco Alemanno Eremita in Ecclesia S. Eutychii de anno 1522. Ab hoc Alemanni manuscripto exemplum exaravit patruus meus Alexander Pennatius Parochus , quod domi nostræ inventum penes me ad præsens servatur . Alemanni manuscriptum magna cura , ac pari diligentia perquisitum , usque adhuc inventum non est : illius vero exemplum a prædicto Alexandro Pennatio exscriptum , lacunis*

cunis multis est refertum : quoniam antiquum Alemanni originale exesis, (ut putamus) & compendiosis characteribus, forsanque semigothicis erat exaratum. Has actorum quinque Lectiones Clerum Suriani, ut mos erat superioribus saeculis (& diximus lib. 4. cap. 6. num. 3. vitae S. Eutychii :) in Horis Canonicis recitasse, illustre, apertumque habemus testimonium in instrumento Inventionis Corporis S. Eutychii, quod infra datur. Ex illis vero quinque tres conflasse Lectiones, ut hodiedum juxta Rubricas mos viget in Clero, in dubium nullo modo revocandum, licet fluctuare videatur Henschenius tom. 3. Maji pag. 459. num. 6. F. Cui tamen indulgendum : Quandoquidem haec acta MS. Alemanniana Lectionibus distincta a meo genitore ad ipsum transmissa minime fuerunt, sed acta MS. Cenciana continuata, nec Lectionibus disparata, de quibus infra. Plura habemus Actorum exempla Lectionibus distincta, ut Acta S. Valentini Martyris, ut nostra, Lectionibus quinque, quae, ut testatur Henschenius, ad Matutinum recitabantur 14. Februarii tom. 2. pag. 752. num. 2. & pag. 753. Acta SS. Valentini Episcopi, & Damiani Diaconi in novem Lectiones dividuntur, quae pariter a Presbyteris Ecclesiae S. Valentini ad officium Matutinum recitari solebant, ut videre est apud Bollandianos 16. Martii tom. 2. pag. 428. num. 3. Acta S. Calogeri Eremitae duodecim Lectionibus dividuntur, quarum quaternae recitantur in tribus Nocturnis, ut apud Bollandianos 18. Junii tom. 1. pag. 591. Alia exempla omittimus. Hoc nostrum MS. Alemanni brevi nota praenotatur, MS. A., *idest* manuscriptum Alemannianum. *Praefert autem hunc titulum, & scribit* Eutitius; *ut alibi est animadversum.* Martyrium S. Eutychii Ferentini, extractum de Catalogo veteri, qui asservatur Viterbii in Ecclesia Cathedrali S. Laurentii, per Jodocum Alemannum Eremitam Suriani apud S. Eutychium anno Domini

ni 1522. *III. Secundum MS. inventum pariter est a Theseo Pennatio ad oram Catalogi Sanctorum Petri de Natalibus in foliis vacantibus, compendiariis characteribus, fugientibusque literis exscriptum a Petro Cencio Notario, qui eodem tempore vixit, quo inventum Corpus S. Eutychii. Fuit autem prædicto meo genitori Theseo Pennatio mense Januario 1680. a Cæsare Caluccio Presbytero egregiis Sacerdotalibus moribus prædito Catalogus præfatus commodatus, qui deinceps eidem domino restitutus post trium mensium lapsum, fuit totus (proh dolor!) in sulphuratorum bolidum fabricæ pro S. Georgii solemniis a juvenili domestica, barbara, & crudeli manu dilaceratus: quæ non sine Diaboli æstu, & astu, primo folia illa Actorum S. Eutychii discerpsit, ut obortis lacrymis retulit prædictus optimus Sacerdos meo genitori. In hoc infausto accidenti mirificum divinæ Providentiæ specimen ante oculos nostros versatur: est enim operata, ut hujus manuscripti exemplum ante illius combustionem exciperet genitor meus: alias hoc viduati manuscripto, in cassum partem illam extremam illacrymarentur, quæ in aliis tribus manuscriptis desideratur, & incipit:* Post multos annos pace data Ecclesiæ &c. *quam nos jure merito sub nomine* Appendicis *damus, utpote Actis additam: ipsam tamen in nonum, & decimum articulum placuit Henschenio discriminare. Hanc Appendicem antiquissimis Actis præcedentibus exaratis (ut diximus) de novo fuisse additam, ex ipsomet stylo, tempore, & materia neminem fugit: agit enim de Ecclesia in honorem S. Eutychii post illius martyrium extructa, pace Ecclesiæ reddita. Exemplum hujus manuscripti transmisit ad Henschenium genitor meus Theseus Pennatius sub die 8. Februarii 1680. quod typis impressum Antuerpiæ tom.3. mensis Maji legitur pag.460. A. Indicatur a nobis hoc manuscriptum hac compendiaria nota:* MS. C. *idest,* Manuscriptum Cencianum. *Præfert*

 vero

vero titulum hunc, & scribit Eutitius, *ut alibi diximus:* De Sancto Eutychio Presbytero, & Martyre. *IV. Tertium manuscriptum fuit exemplatum a Dominico Pamphili Sacerdote ad calcem cujusdam Codicis, qui paucis ab hinc annis est pariter, ac Petri Catalogus, de quo supra, discerptus, ac deperditus; ante illius tamen jacturam, exemplum desumsit genitor meus Theseus Pennatius. Designatur hoc manuscriptum hac brevi nota,* MS. P. *idest*, Manuscriptum Pamphilianum. *Retinet hanc Epigraphen minus aptam, ratione quam dedimus supra num.5. & scribit* Eutitius. Vita S. Eutychii Presbyteri, & Martyris, sumpta, & copiata ex uno antiquissimo Catalogo per Dominicum Pamphilium Surianensem ad Dei laudem. *Tria ex his manuscripta, ut vidimus, testantur, hæc acta fuisse desumpta ex veteri, & antiquissimo Catalogo, de quo num. 2. & 3. Ex collatione vero horum quatuor manuscriptorum nulla substantialis apparet variatio, quod proculdubio manifestum est veritatis argumentum Actorum.* Hucusque Pennatius de Codicibus manuscriptis, unde suam de S. Eutychii rebus gestis, ac martyrio hausit historiam.

Quidquid enim sit de manuscriptis illis deperditis, de quibus unusquisque suum, ut vult, proferat judicium; illud certe, quod ex Codice MS. Ecclesiæ Viterbiensis profert Henschenius die 15. Maji pag.460. & ex Hortanæ Ecclesiæ Archivo Pennatius pag.279. quodque antea Ferrarius ex monumentis Ecclesiæ Hortanæ, & Suriani in Catalogo Sanctorum Italiæ produxerat, compertum exploratumque facit, in id Scriptores omnes convenire, quod nos supra de S. Eutychio Ferentino in Tuscia Presbytero, ac Martyre notavimus.

III. *Instrumentum Inventionis, &*

III. His manuscriptis consonant alia certissima documenta, quæ de eodem S. Eutychio loquuntur. Primum est instrumentum illud inventionis Corporis ejus-

ejusdem, quod auctoritate Apostolica ab Henrico Bruno Episcopo Hortano confectum fuit die 15. Maji anno 1496. Producitur autem ab Henschenio tom.3. Maji pag. 461., & a Splendiano Andrea Pennatio pag.319. Ibi narratur, quomodo eæ Reliquiæ in Ecclesia S. Eutychii repertæ sint, ac subinde Surianenses per Cardinalem de Ursinis Alexandro VI. Summo Pontifici supplicaverint, ut ejus rei inspectionem Episcopo Hortano aut aliis committeret. *Quum, inquit, Populus, & universitas Terræ Suriani Civitatis Hortanæ nostræ Diœcesis, tam ex relatione majorum suorum, quam etiam ex vetusta, & antiquata consuetudine, ac etiam ex compluribus miraculis in compluribus personis factis, & concessis a devotissimo S. Eutitio, quem Ecclesia canonizavit, eum pro peculiari Sancto, & singulari Protectore apud divinam clementiam colere, ac devota mente, & animi affectu maxime venerari consueverint; venerabilem Ecclesiam, in eorum Territorio extra muros Suriani situatam sub nomine dicti Sancti, collapsam tamen vetustate, cupientes debitis honoribus resarcire, & juxta eorum facultates ædificiis exornare, liberantes, & exsolventes se ab omni menda, & gravamine conscientiæ; ad nos Henricum Brunum Episcopum Civitatis Ortanæ, & Castellanæ accesserunt, petentes dari sibi facultatem, præfatam Ecclesiam debitis exornare ædificiis, ut cæremonias, devotiones, & eorum vota decentius persolvere possent. Quumque obtenta dicta licentia, & facultate, complures ex præfato populo, & universitate peculiari devotione ad præfatam venerabilem Ecclesiam accesserint; & illam evacuantes, quia ruinis repleta erat, effodiendo, & evacuando partem præfatæ Ecclesiæ, in qua & antiquiores, & moderni homines dictæ Terræ Suriani, & etiam circumstantes oppidani, eorum vota, & cæremonias persolvebant præfato Sancto, Arcam marmoream invenerint, seu repererint, in qua reliquiæ, & ossa*

Recognitionis Corporis ejusdem S. Eutychii in Crypta Surianensi confectum ab Episcopo Hortano anno 1496.

& ossa corrosa reperta sint. Quumque etiam Sacerdotes, & literatæ personæ dictæ Terræ redditi certiores de inventione dictæ Arcæ, seu Sepulcri ex tabulis marmoreis confecti, ad præfatam venerabilem Ecclesiam cum Historia dicti Sancti accesserint, quæ singulis annis in festo dicti Sancti Sacerdotibus in Matutinis, & aliis horis Canonicis legebatur; ac cognoscentes ex Historia, & ex Arcæ, seu Sepulcri compositione, & signis, illa fore ossa, & venerabiles Reliquias dicti Sancti, maxima cum devotione, ac quibus poterant cæremoniis, præfatas Reliquias venerati sint. Sed quia potuissent dictus Populus, & universitas subjici reprehensioni, & emendationi nostræ, qui Pastoralem curam de eorum animabus gerimus; per Reverendissimum Dominum Cardinalem de Ursinis, Sanctissimum Dominum nostrum Alexandrum VI. Romanum Pontificem consuli fecerunt, ut servatis solemnitatibus, & diligenti indagine, & perquisitione habita super præfatis venerabilibus Reliquiis, talis observetur modus, ut eo omnis mentis macula, & defectus in venerandis Reliquiis abstergeretur. Alexander VI. supplicationibus Surianensium sibi per Cardinalem de Ursinis a Petro Pennace, Cicho Ferracuti, Joanne Lombardo, & Sebastiano Jannotti, Officialibus dictæ Communitatis, porrectis inclinatus, Literas Apostolicas expediri jussit ad Henricum Brunum Episcopum Hortanum directas, *datas Romæ* apud *S. Petrum* die 14. Aprilis 1496. in quibus ait Pontifex: *Exponi nobis fecerunt dilecti filii Communitas, & homines Terræ nostræ Suriani tuæ Diœcesis, quod ipsi olim repererunt in quodam pilo marmoreo apud Altare Ecclesiæ S. Eutitii sito, plures, & diversas Reliquias, quas licet ipsius Sancti fore arbitrentur, tamen illas publice ostendere, ac pro ipsius Sancti Reliquiis affirmare non audent. Nos igitur eorum in hac parte supplicationibus inclinati, ac de præmissis certam notitiam non habentes,*

tes, Fraternitati tuæ, de qua in his, & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per præsentes committimus, & mandamus, ut ad dictam Ecclesiam te personaliter conferas, & de præmissis, an illæ sint veræ Reliquiæ ipsius Sancti, diligenter inquiras: &, si ita repereris, dictas Reliquias, infra, vel post Missarum solemnia cum debita veneratione, & reverentia universo populo publices, & ostendas, ac veras ipsius Sancti Reliquias esse declares, ac per universos Christifideles venerari decernas. Paruit mandatis Apostolicis Hortanus Episcopus. Nam, ut ipse ait in Instrumento: *Viso in primis tenore dicti Brevis, ac potestate, & commissione nobis ipsius vigore per Apostolicam Sedem attributa, & commissa, volentes ad executionem procedere; ad dictam Ecclesiam S. Eutitii nos personaliter contulimus, & diligenter ipsam, & specum seu cryptam nostris oculis subjicientes, ac Historiam, & Legendam dicti Sancti legi facientes; visa, & diligenter perscrutata dicta Ecclesia, & crypta; visa, & audita dicta Historia, seu Legenda ipsius Sancti Eutitii; visa arca, sive sarcophago ex tabulis marmoreis facto, & Reliquiis in eo existentibus, & in eadem parte Ecclesiæ invento, prout ipsa narrat Historia; visis dictis & attestationibus plurimorum testium fide dignorum super hujusmodi negotio examinatorum: auditis plurimis miraculis ibidem per summum Creatorem, & Redemptorem nostrum intercessione dicti Sancti factis, & ostensis: visis demum omnibus, ac singulis super ejuscemodi negotio opportunis; Christi, gloriosissimæ ac beatæ Mariæ Virginis Matris, & Sancti Eutitii nominibus invocatis; sedentes pro tribunali in ipsa Ecclesia præfati Sancti, dicimus, pronunciamus, & declaramus, dictas Reliquias in ipsa Ecclesia, & dicto sarcophago, sive Arca, fuisse, & esse dicti Sancti Eutitii Presbyteri, & Martyris, & eas devote venerari debere, prout decet Sanctorum Reliquias: ac præmissa*

sa

ſa omnia publice, & palam prædicari, & populis annunciari.

IV. *Inſtrumentum Inventionis Reliquiarũ ejuſdem S. Eutychii Presbyteri, & Martyris, atq; Dionyſii Epiſcopi Ferentini confectum Viterbii an. 1676. ab Epiſcopo Viterbienſi.*

IV. Alterum Inſtrumentum inventionis Reliquiarum Sancti Dionyſii Epiſcopi, & Eutychii Presbyteri, confectum a Stephano Brancaccio Epiſcopo Viterbienſi anno 1676., quod producitur a Bollandianis Sociis Franciſco Baertio, & Conrado Janningo tom. 7. Maji in Appendice ad diem 15. ejuſdem menſis pag. 775. Eſt autem ejuſmodi. *Hic* (hoc eſt Viterbii, quemadmodum Coccovaginus ad eoſdem Bollandianos ſcripſit:) *menſe Decembri deceſſerat Bartholomæus Nerius, Prior Eccleſiæ Parochialis S. Mariæ novæ: cujus cadaveri humando quum locus aptus requireretur, qui ſepulcrali lapide elogium defuncti habituro poſſet inſterni; electus eſt unus, quinque ſolum pedibus diſtans ab ara S. Carolo Borromæo dicata; altiorque communi Eccleſiæ pavimento duobus gradibus, per quos ad ipſum ſacellum aſcenditur. Ibi fodientes, invenerunt arcam lapideam, longam palmos duos, & uncias ſeptem, inſcriptam litteris ferme Latinis, ſubinde inter ſe connexis, cum nonnullis breviaturis ſatis ordinariis, quas ſic extendo:* Hic requieſcunt corpora Sanctorum, videlicet Dionyſii Epiſcopi, & Euticii Presbyteri. Ima tenet unum, ſumma alterum depoſitum. *Inventa arca, juſſu Vicarii, incluſa decenti loco fuit, & ſigillis obſignata die 5. Decembris, quoad uſque veniret Epiſcopus Stephanus Brancaccius. Venit autem poſt annum, die 18. Decembris: & coram omnibus ferme Canonicis arcam aperiens, reperit duo oſſa femorum, duo tibiarum cum ſuis fibulis, ſed ruptis; duos orbiculos genuum; plures particulas digitorum ad pedes pertinentium; mandibulam inferiorem cum dentibus; partem oſſis ſacri, cum fine ſpinæ dorſualis; tres vertebras colli, varias particulas pedum, partem brachialem a cubito ad humerum, claviculam humeralem, coſtam unam, duos alios dentes; aliaque fragmenta varia,*

ria, terræ, pulveribusque permixta; prout hæc omnia descripta sunt in archivio Cancellariæ Episcopalis. Et Inventio quidem inscripta primæ parti libellorum, & instrumentorum spectantium ad annum MDCLXXVI. fol. 1. Recognitio autem, secundæ eorumdem libellorum parti, spectantium ad annum sequentem fol. 314. sub hoc titulo: Inventio corporum Sanctorum Dionysii, & Eutychii. Quæ quidem inventio, seu recognitio manifestum facit, eadem Sanctorum corpora fuisse olim distincta, ac separata, eorumque partem tantummodo in illam arcam, quæ in Ecclesia S. Mariæ novæ reperta est, tum illatam, quum translatio seu recognitio eorumdem Sanctorum Corporum ab Episcopo Viterbiensi, aut Hortano olim facta contigit. Porro suspicatur Pennatius pag. 102. id accidisse, quum S. Eutychii corpus ab eo deposito, quod in antiqua crypta ejusdem S. Martyris fuerat, translatum est in arcam marmoream, quam in nova extructa Ecclesia Episcopus ejus temporis, quem ipse Pennatius Stephanum vocat, collocavit: qua occasione vero propius est, Episcopum illum partem corporis S. Eutychii inde abstulisse, ut illam in sua Cathedrali Ferentina Ecclesia una cum Reliquiis S. Dionysii Episcopi reconderet. Quum autem Ferentinum oppidum a Viterbiensibus postea excisum fuisset, ut antiquiores hac postrema anni 1676. & sequentis inventione, atque recognitione Scriptores Viterbienses affirmant, sacræ Reliquiæ omnes, quas inter & pars corporum SS. Dionysii, & Eutychii, de quibus loquimur, sunt Viterbium translatæ. Hoc ipsum affirmant Bollandiani Socii: nam relato antedictæ Inventionis, & Recognitionis Instrumento, hæc subjungunt: *Quum autem antiquæ distinctionis indicium, aut Instrumentum repertum in arca fuerit; puta ligneum, vel marmoreum diaphragma, seu tabula; quumque Coccovaginus nos doceat, ex præfata S. Mariæ Ecclesia, quæ alias forte Cathedralis fuit,*

fuit, quædam S. Dionyſii Martyris, aliorumque oſſa translata fuiſſe, nihil propius vero eſt, quam diviſum ſacrum Theſaurum ab olim eſſe, ſic, ut ea, quæ S. Dionyſii eſſe credebantur, & ſupremum in arca locum tenebant, acceperit Cathedralis nova; Sancti Eutychii vero, cujus pars altera Suriani forſan erat, inferius locata oſſa, in arca remanſerint. Certe prænumerata oſſa non ſufficiunt dimidio uni corpori integrando, neque indicium apparet, quo dicantur duorum corporum partes eſſe.

V. *Viterbienſe Inſtrumentum cũ Surianenſi ſeu Hortano collatum palam facit, Dionyſium Epiſcopum, & Eutychium Presbyerum eoſdẽ eſſe, de quibus in codicibus illis, Hortano, Alemanniano, Cenciano, & Pamphiliano agitur.*

V. Si hoc Inventionis Viterbienſis inſtrumentum, cum illo Surianenſi, ſeu Hortano conferatur, dubium omne, quod Bollandiani Patres movent, eximitur. Dubitant illi primum, an Eutychius ille, cujus Reliquiæ cum S. Dionyſio Epiſcopo ſunt repertæ, idem ſit ac Eutychius, qui Suriani colitur: *operæ pretium fuerit*, inquiunt pag.775. col.1. *hic narrare, quid circa nonnullas Reliquias alicujus S. Euticii, ac forſitan hujus, acciderit anno 1676. Viterbii*. & col.2. *Sancti Euticii vero cujus pars altera Suriani forſan erat.* At Henſchenius tom.3. Maji pag.461. Inſtrumentum protulerat fide digniſſimum, nec ab ullo in dubium revocandum, niſi qui authentica omnia Inſtrumenta nihili pendat, quo Inſtrumento declaratur, & Apoſtolicæ Sedis nomine ab Epiſcopo Hortano pronunciatur, *Reliquias in ipſa Eccleſia Surianenſi, & in dicto ſarcophago, ſive arca repertas, fuiſſe, & eſſe dicti Sancti Eutitii Presbyteri, & Martyris*. Hoc autem Viterbienſe, quod ipſi Bollandiani admittunt, & omnino debent admittere, Inſtrumentum rotundis etiam literis declarat, *ibi corpora requieſcere*, non ignotorum Sanctorum, ſed nomine proprio deſignatorum, *Dionyſii Epiſcopi & Euticii Presbyteri*. Titulus *Presbyteri*, qui Eutychio ſubjungitur, & ipſa ejuſdem cum Dionyſio Epiſcopo conjunctio, ſatis oſtendunt, ibi ſermonem eſſe non de quocumque Eu-

ty-

tychio, sed de illo, qui in ea Tusciæ regione olim claruerat, & una cum Dionysio Ferentino Episcopo, licet non eodem anno, in eadem tamen persecutione martyrium subierat.

Hæsitant secundo Bollandiani Patres, quis ille Dionysius Episcopus, aut cujus civitatis fuerit: *Quamquam vero*, inquiunt pag.775. col.2. *Viterbienses nullum S. Dionysium Episcopum noverint; fuerunt tamen circum Episcopales Urbes plures, Tuscanella, Centumcella, Blera, aliæque, quarum Episcopi nos latent*. Sed cur inter circumpositas Viterbio Episcopales urbes non nominant *Ferentum*? In actis tamen S.Eutychii Presbyteri, & Martyris, quæ tam Henschenius tom.3. Maji, quam ipsi Bollandiani tom.7. probant, Dionysius Eutychio æqualis, Ferentinæ urbis Episcopus diserte appellatur. Epitome Ferrarii tom.3. Maji pagin.458. *Postero die eductus è carcere B. Eutitius (Dionysio Episcopo Ferentino, qui pro Eutitio intercesserat, fustibus cæso, & extra urbem ejecto) primum blanditiis, ac honorum, & divitiarum promissis, ut Deos coleret, a Maximo tentatur*. Et paucis interjectis. *Ac demum extra urbem ductus, capite truncatur. Cujus corpus a B. Dionysio Episcopo a Clericis adjuto noctu sepelitur in crypta*. Acta ejusdem S. Eutychii Presbyteri ex MS. Ecclesiæ Viterbiensis apud eundem Henschenium tom.cit. pag.460. num.1. *In eodem tempore B. Eutitius Presbyter reversus fuerat in civitatem Ferentinam de Christi negotio, quod ei revelaverat Angelus*. & num.2. *Tunc B. Eutitius monuit eos de fide, & doctrina Domini Nostri Jesu Christi, & eadem hora discessit, & reversus est ad propriam civitatem Ferentinam*. Et num.4. *Ante tribunal Judicis inventus est Dionysius Episcopus, qui præerat huic civitati. Hic ut cognovit, quod comprehensus esset B. Eutitius Presbyter, obtulit se Maximo Tribuno dicens: Pietati tuæ suggere sacratissime Tribune, servum Dei qui orat pro*

M te,

te, & pro Republica, quare trucidas? Tunc jussit Maximus, Dionysium Episcopum fustibus cædi, & foras civitatem emitti. Denique num.8. *Hæc audiens B. Dionysius Episcopus, ubi erat occulte propter persecutionem Paganorum, abiit noctu cum Clericis suis ad corpus B. Eutitii, & levaverunt illud cum hymnis, & orationibus, & posuerunt in prædiolo suo, & crypta sua milliaribus ab urbe Ferentina plus minus quindecim.* En disertis verbis habemus Dionysium Episcopum Ferentinum, & Eutitium, sive Eutychium, ejusdem urbis Presbyterum, ambos in Christi confessione illustres. Id si Bollandiani advertissent, de Reliquiis utriusque Sancti dubitationem omnem exuissent.

VI.
S. Leo IV. in Epistola ad Episcopum Tuscaniensem, quæ ab Inn. III. confirmata est, Ecclesiam S. Eutychii commemorat in Diœcesi Tuscaniensi positam usque ab anno 852.

VI. Tertium de S. Eutychio Presbytero ac Martyre documentum nobis exhibet Epistola 142. Innocentii III. quæ refertur apud Baluzium tom.2.Epistolarum ejusdem Pontificis pag.80. editionis Paris.1682. In ea epistola confirmat Innocentius privilegium, quod S. Leo IV. Virobono Episcopo Tuscanensi concesserat. Verba autem Leonis IV. quæ epistolæ Innocentianæ inseruntur, hæc sunt. *Leo Episcopus servus servorum Dei, venerabili Fratri Virobono Tuscanensi Episcopo, ejusque successoribus in perpetuum. Convenit Apostolico moderamini pia religione pollentibus benivola compassione succurrere.* Et post paulo. *Ideoque quia tua fraternitas humiliter postulavit a nobis, quatenus Episcopium S. Tuscanensis Ecclesiæ cum Plebibus, Ecclesiis, Cappellis, fundis, casalibus, massis, villis, terris, vineis, curtibus, & silvis, vel omnibus, quæ sunt in dominio ejusdem Episcopii, tibi, tuisque successoribus confirmaremus atque corroboraremus in perpetuum secundum jura prædecessorum tuorum; inclinati precibus tuis, per hujus præcepti seriem præfatum Episcopatum Tuscanensem confirmamus, atque corroboramus tibi cum omnibus sibi pertinentibus.* Inter eas autem Ecclesias, quæ ad Tusca-

scanensem Episcopatum spectare dicuntur, recensetur Ecclesia *S. Eutychii*, in hæc verba. *Plebem Sancti Laurentii in palmule cum Ecclesia S. Luciæ, &* S. Euticii, *cum villis fundis, casalibus, domibus, curtibus, hortis, olivetis*. Scripta hæc S. Leonis IV. Epistola *per manus Nicolai Notarii, atque Regionarii, & Scriniarii Sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ, mense Febr. indictione V. Data autem VIII. Kal. Martii per manum Leonis Primicerii Summæ Apostolicæ Sedis, Anno, Deo propitio, Pontificatus Domini nostri Domini Leonis Papæ IV. in Sacratissima Sede B. Petri Apostoli sexto, Mense, & Indictione suprascripta V.* Si genuinæ sunt hæ S. Leonis Quarti literæ (quemadmodum eas genuinas esse nemo hactenus negavit) omnium antiquissimum post S. Gregorii Dialogos ex his habetur Testimonium de S. Eutychio in Tuscaniensi, seu Viterbiensi Diœcesi olim culto. Quum enim Leo Quartus Pontificatum inierit anno Christi 847. obieritque anno 855., sequitur, sextum ejus annum, quo eæ literæ datæ dicuntur, in annum Christi 852. incidisse; quo anno Ecclesia S. Eutychii una cum Ecclesia S. Laurentii, & S. Luciæ in territorio Tuscaniensi memoratur. Verum Amanuensium fortasse vitio nonnullà menda in literis illis obrepsere. Nam S. Leo IV., ut ostendit Pagius, Pontificatum iniit die XI. Aprilis anno 847. indictione X.; migravit autem ad Dominum die 17. Julii 855. Indictione III. Annus igitur sextus, quo literæ illæ VIII. Kalen. Mart. datæ dicuntur, inciderit, oportet, in annum Christi 852., quo tamen anno non quinta, sed decima quinta Indictio fuit. Præterea dies ille Februarii, qui in iisdem litteris *VIII. Kal. Mart.* dicitur, fuerit, necesse est, dies 22. *Februarii*: quum vero, ut dictum est, Leo quartus die XI. Aprilis anno 847. Pontifex inauguratus fuerit, sequitur, diem 22. Februarii non ad annum Pontificatus sextum, sed ad quintum pertinere. Emen-

danda igitur Epocha, ita ut annus quintus Leonis quarti, & XV. Indictionis substituatur: aut dicendum cum cl. Francisco Mariani *de Etruria Metropoli* pagin.236. suspectas literas esse, propter multas difficultates, quas ipse indicat; tametsi mutata sententia, addit pag.238. inquiens: *Ego has literas veneror, atque deosculor, quæ adeo meæ Patriæ favent, ut mox videbimus, ut vehementer mirer, Tuscanellenses in iis gloriari, illisque in marmore nuper exaratis sibi plaudere*. Et jure quidem, meritoque venerandæ sunt, atque deosculandæ. Si enim propter errorem in subscriptionibus invectum rejiciendæ essent, actum esset de plerisque literis Apostolicis, quarum exempla librariorum inscitia ad nos sæpissime corrupta deveniunt in annorum, mensium, aut dierum numero: quas nihilominus literas genuinas esse, ac sinceras, etiam critici, ac morosissimi viri amplectuntur.

VII. *Ex dictis conficitur, Eutychiū Presbyterū, & Martyrem, qui Suriani colitur, eumdem esse, cujus Ecclesiam Sanctus Leo IV. anno 852. laudat: cujus Corpus Suriani an. 1496. recognitum est: cujus Reliquiæ una cum Sancto Dionysio Episcopo Ferentino Viterbii coluntur: cujus demum fit mentio in Actis S S. MM. Valentini*

VII. Itaque ex productis documentis constat, primo, Ecclesiam S. Eutychii in Diœcesi Viterbiensi anno 852. exstitisse. Secundo, sepulcrum ejusdem apud Surianum una cum sacris Reliquiis ab ipsis Dionysii Episcopi temporibus in crypta fuisse, quæ postea in Ecclesiam conversa, miraculis claruit. Tertio, eamdem Ecclesiam vetustate collapsam, & circa annum 1496. a Surianensibus refectam, reperto ibi sacro Eutychii corpore celebriorem in dies evasisse. Quarto, alteram Reliquiarum ipsius Sancti partem in vetusta Viterbii Ecclesia olim depositam fuisse. Hæc autem omnia finitimos Tusciæ populos, Viterbii scilicet, Suriani, & Hortæ, non diebus nostris excogitasse, sed tam ex relatione majorum suorum, & antiqua traditione, quam ex compluribus ibi patratis miraculis, & ex vetustissimis manuscriptis codicibus accepisse: quæ proinde luce clarius demonstrant eumdem esse Eutychium, qui in actis ab Henschenio, & Pennatio relatis laudatur, atque in iis etiam memoratur;

tur, quæ martyrium continent Sanctorum Valentini Presbyteri, & Hilarii Diaconi, Gratiliani, & Felicissimæ, & Sancti Secundi martyris.

& Hilarii, Gratiliani, & Felicissimæ, & Secundi.

VIII. An autem hæc eadem documenta fidem indubiam faciant, eumdem Eutychium fuisse, de quo S. Gregorius Papa scribit, viris ab omni partium studio alienis judicandum relinquo. Mihi semper visum fuit, his, quæ supra producta sunt recte perpensis, tam constare, Eutychium, de quo S. Gregorius, eum esse, qui apud Surianum sepultus est; quam constat, hunc Eutychium, in Surianensi Territorio sepultum, eumdem illum esse, qui Ferentinæ in Tuscia urbis Presbyter fuit. Adeo sunt inter se hæc omnia connexa, ut unum ab altero separari nequeat. nam Gregorius Pontifex non de quocumque Eutychio loquitur, sed de eo, qui in Ferentina Dioecesi Ecclesiam, & Sepulcrum anno circiter Christi 566. habebat. Monumenta autem omnia, quotquot recitavimus, clamant, atque designant, Eutychium Martyrem in crypta Surianensi sepultum; quod idem est, ac Eutychium in Ferentina antiqua Dioecesi Ecclesiam, ac Sepulcrum habentem. Locus enim ille Surianensis, ubi Sancti Martyris crypta religiose visitur, quamquam in actis ejusdem dicitur *milliaribus ab urbe Ferentina plus minus quindecim distare*; prædiolum tamen tunc temporis erat sive Eutychii ipsius, sive B. Dionysii Episcopi, qui eum sepelivit, ut acta testantur: *posuerunt in prædiolo suo, & crypta sua*: adeoque ad Ferentinam Dioecesim spectabat. *Ferrarius* (ut notat Henschenius ad acta Sancti Eutychii Presbyteri, & Martyris pag. 461.) *in lexico geographico ait, Ferentinæ urbis etiam hodie nomen* Ferento *superesse, & solis quinque millibus passuum distare Viterbio, hinc vero Sorianum nonnisi sex vel septem passuum millibus abesse.*

VIII. Item eumdem esse ostenditur Eutychiũ Martyrem, cujus S. Gregorius Papa meminit.

Et Pennatius pag. 81. *Acta*, inquit, *testantur*, *Feren-*

Ferentum milliaribus fere quindecim distare ab hac crypta, quæ hodie in Territorio Surianensi est sita, quum res nobis nota sit, non plus abesse, quam octo seu novem milliaribus. Hoc tamen discrimen levi negotio conciliatur, si diversitas milliarium ejus temporis attendatur, quæ sane minora esse dignoscuntur, quam nostrorum temporum milliaria quemadmodum complures antiquitatis studiosi affirmant, ac præsertim Holstenius, Burghinus, & alii. Accedit ad hæc, quod, quum olim per montes illos, ac silvas non esset iter apertum, alia proinde, ac longiori, quam nunc sit, via incedere opus esset. Hæc autem crypta, seu Ecclesia ruralis S. Eutychii duobus fere milliaribus a Suriano distat. Quod si quindecim fere, aut octo, seu novem milliaribus Ecclesia S. Eutychii apud Surianum sita, a Ferentina Tusciæ Civitate abest; dicant, velim, qui hunc Sanctum in Hernicis ponunt, quanto magis ab ea Ferentina urbe, seu ab ea Suriani crypta, distat Ferentina Campaniæ Civitas? In Ferentina tamen Campaniæ urbe, aut Diœcesi, & in omnibus circumquaque positis locis, nulla exstat S. Eutychii Martyris memoria, non Ecclesia, non Sepulcrum, non Reliquiarum vel minima pars, nullum denique actorum monumentum.



CA-

CAPUT V.

De ejusdem Eutychii nomine, Ecclesia, & Festo, deque aliis ab ipso diversis Eutychiis.

I. T, inquiunt, alii sunt Eutychii Martyres, a Presbytero illo, qui in crypta Surianensi sepultus est, diversi, quorum catalogus in praefatione texitur. Horum aliquis in Ferentina Campaniae urbe Ecclesiam, & Sepulcrum temporibus Gregorii Magni habebat. Ille enim, qui Suriani colitur, Presbyter, ac Martyr fuit; qui autem a S. Gregorio in Ferentina Dioecesi laudatur, simpliciter, & absolute Martyr dicitur. Praeterea Eutychius Martyr, de quo S. Gregorius Papa scribit, videtur intra ipsam Ferentinam urbem in Ecclesia sui nominis, Redempto Episcopo apparuisse: sic enim S. Gregorius Papa *de visione Redempti Ferentinae Civitatis Episcopi. Quadam die dum Parochias suas ex more circuiret, pervenit ad Ecclesiam S. Eutychii Martyris.* At Ecclesia Surianensis, ubi Eutychius Presbyter, & Martyr colitur, sita est extra Ferentinam Civitatem, imo distat ab illa quindecim fere, aut saltem octo, vel novem milliaribus. Denique in actis, quae ab Henschenio, & Pennatio producuntur, Eutitius fere semper vocatur, non Eutychius: qui vero a S. Gregorio laudatur, non Eutitius, sed Eutychius Martyr dicitur.

I. *Argumenta eorum, qui S. Eutychium volunt Ferentini in Campania S. Redempto apparuisse.*

II. Singula sunt expendenda: ac primum quid *Parochiarum* nomine intelligitur, quas quum Redemptus Fe-

II. *Quid Parochiarum nomi-*

ne intelligitur, quas S. Redemptus Episcopus circuisse dicitur.

Ferentinæ civitatis Episcopus circuiret, pervenit ad Ecclesiam B. Eutychii Martyris.

Maurini Patres in notis ad hunc S. Gregorii locum: *Parochiæ*, inquiunt, dicuntur, non quidem Ecclesiæ, quæ sunt intra civitatem, sed quæ extra civitatem in Diœcesi existunt, qualis est Ecclesia S. Eutychii in crypta Surianensi extra Ferentum, Viterbium, & Hortam posita. *Hic Parochiæ dicuntur Vici, Vicanæque Ecclesiæ: quod vix in superioribus, aut etiam æqualibus Scriptoribus invenietur. Legitur tamen Parochia in eadem significatione in epistola synodica ad Egidium de novo castri Dunensis Episcopatu in Appendice operum Gregorii Turonensis col.*1341. Cangius in suo magno Glossario col. 190. & 191. evidentissime probat nomen *Parochiæ* significare territorium, & districtum Episcopi: *Parochiarum nomen*, inquit, *rusticarum Ecclesiarum olim fuit, ideoque Parochiæ Civitatibus opponuntur in concilio Agathensi can.*21. In Hierolexico Dominici Macrii, & Caroli fratris: *Parochia dicitur diœcesis Parocho subjecta: (nam peragratis forte Diœcesibus, quum domum venit &c. Sidon.lib.9. epist.16.) & è contra Parochia pro Episcopi Diœcesi non raro accipitur. Unusquisque Episcoporum habeat suæ Parochiæ potestatem. Rothland. in epist. ad Nicol. Nullus Episcopus in alterius Parochia ordinationes aliquas facere, vel negotia peragere, quæ ad eum non pertinent &c. In capit. Caroli Magni lib.*1. *cap.*11. Natalis ex epistola S. Innocentii I. tom.4. sect.4. cap.5. art.7. pag.86. *Constat*, inquit, *in aliis Diœcesibus Parochias fuisse extra urbem Episcopalem*. En Parochiæ nomen, & pro vicanis, seu rusticis Ecclesiis sumtum, qualis erat Ecclesia Surianensis, quoad Ferentinam civitatem: & pro Parochiis extra urbem Episcopalem sitis; & pro ipsa Episcopali Diœcesi. Hinc tam Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem 8. Aprilis, quam Tillemontius tom.5. Hist. Eccl. art.5c. dum visio-

visionem hanc S. Redempti ex S. Gregorio narrant, aperte dicunt: *Quum suæ Diœcesis Ecclesias visitaret*. Sed quomodocumque Parochiæ nomen sumatur, hæc objectio nihil eos juvaret, qui de Ferentino in Hernicis oppido loqui S. Gregorium contendunt; nam neque intra, neque extra illud oppidum reperire est S. Eutychii Martyris Ecclesiam, & sepulcrum, ut sæpe observavimus.

III. *Familiare est S. Gregorio Papæ, Sanctos in Cœlo regnantes laudare, suppresso Episcopi, Presbyteri, & Diaconi nomine.*

III. Quod autem B. Gregorius Eutychium Martyrem, suppresso Presbyteri nomine, appellavit; non alium designat Martyrem a Presbytero diversum; nam eidem B. Gregorio, ut legenti aurea ipsius scripta patet, familiare est, de viventibus quidem, aut iis, qui nondum inter sanctos colebantur, sic loqui, ut Diaconi, Presbyteri, & Episcopi dignitatem semper exprimat, si qua sunt insigniti; de iis vero qui ad Dominum migrarunt sanctis, illam reticere. Exempla habemus in ipsis Dialogorum libris: ubi Sanctos Stephanum, Laurentium, & Martinum, non expresso Diaconi, & Episcopi nomine vocat: ait enim lib.1. cap. de Ancona loquens: *juxta eam namque civitatem Ecclesia B. Martyris Stephani sita est*; & lib.3. cap.27. de Sanctulo Provinciæ Nursiæ Presbytero: *alio quoque tempore vehemens ubique fames incubuerat, & B. Laurentii Martyris Ecclesia fuerat a Longobardis incensa*. Demum libro 2. cap.8. de S. Benedicto Monachorum occidentalium Patriarcha: *Illuc itaque* (idest ad castrum, quod Casinum dicitur) *vir Dei perveniens, contrivit idolum, subvertit aram, succendit lucos, atque in ipso Templo Apollinis, oraculum B. Martini; ubi vero ara ejusdem Apollinis fuit, oraculum S. Joannis construxit*. Quis autem nescit, ibi sermonem esse de B. Martino Episcopo, deque Sanctis Diaconis Stephano & Laurentio? Sed & in Martyrologio Romano die 15. Aprilis Sancti Martyres *Maro*, *Eutyches*, & *Victorinus* coluntur hoc elogio: *Eodem die Sanctorum*

rum Martyrum Maronis, *Eutychetis*, & *Victorini*; quorum tamen duos priores constat ex actis *Presbyteros* fuisse, tertium vero *Episcopum Amiterninum*.

Sive autem *Presbyterum*, & *Martyrem*, sive solum *Martyrem* hunc Eutychium B. Gregorius appellasset, certum est, ipsum de Ferentino in Tuscia Martyre Eutychio, non in Hernicis loqui: nullus enim, ut sæpe diximus, Eutychius martyr in Ferentina Campaniæ Diœcesi in Ecclesia sui nominis colitur. Nemini siquidem eorum, quorum catalogum texuimus, Martyrum, quibus *Eutychii*, sive *Eutychetis* nomen impositum, constat ex ipsorum actis, præter Eutychium nostrum Presbyterum, ac Martyrem, convenire posse, quæ a S. Gregorio Papa narrantur.

IV. *De S. Eutychii nomine.*

IV. Quod spectat nomen *Eutychii*, notant Patres Maurini, apud S. Gregorium Papam lib. 3. Dialogorum cap. 38., Græce quidem in quibusdam codicibus manuscriptis legi Ἰουτικοῦ, *Jutici*; Latine autem in cod. S. Germani a Pratis, & in secundo cod. S. Theodorici, *Juthici*: in primo S. Petri Carnotensis, *Justici*, consentiente Interprete Græco. In secundo Carnotensi, *Justini*: in Compendiensi, *Zotici*: in primo S. Theodorici: *Judici*. In cæteris, Græce quidem, Εὐτυχίου, Latine vero *Eutychii*, aut *Eutycii*. Equilinus etiam Episcopus narrans visionem S. Redempti ait lib. 11. cap. 105. *pervenit ad Ecclesiam S. Zotici Martyris*. Verum codices fere omnes Mss. & impressi habent *Eutychii*, atque ita legendum esse constat ex Martyr. Rom., in quo hic Sanctus, de quo ait S. Gregorius Papa, non *Zoticus*, non *Justinus*, non *Judicus*, non *Justicus*, non *Juticus* appellatur, sed *Eutychius*; Italice autem *Eutitius*; nomen videlicet a Latino corrupto *Euticio* derivatum.

V. *S. Eutychium Ferentinum Martyrem a*

V. Bollandus tom. 1. Februarii pag. 458. num. 2. in S. Eutychio, de quo Martyrologium Romanum ad diem 4. Februarii, suspicatur, an sit idem *Eutychius* Mar-

Martyr Romæ, qui & in actis S. Secundi 1. Junii. *Quia acta ejus*, inquit, *interciderunt*, *dubitari fortasse potest*, *an non hic sit S. Eutychius Presbyter*, *cujus in Actis S. Secundi Martyris* 1. *Junii mentio fit*. *Quum enim quæstionarii*, *qui S. Secundum saxo alligatum Ameriæ in Tiberim jecerant*, *Spoletium revertentes*, *feroci urso occurrissent*, *ab eo octo occisi fuere*, *reliqui vix evaserunt clamantes* : *Vere homo iste est magni Dei cultor*. *Et hæc dicentes venerunt ad Beatum Eutychium Presbyterum*, *ubi latebat absconditus*; *& mittentes se ad pedes ejus*, *cum lacrymis rogabant eum*, *ut baptizari ab eo mererentur*. *Quibus ille respondit* : *Vos tantum credite Christo Domino nostro*; *& quidquid unquam mali gessistis*, *per fidem Baptismatis ejus condonabitur vobis*. *Allata itaque aqua*, *baptizati sunt per B. Eutychium Presbyterum eadem hora promiscui sexus numero duodecim* : *qui abeuntes ad sua*, *gratias Deo referebant cum lætitia magna*. Hæc ibi. Addit idem Bollandus: *At nusquam in Martyrologiis illius B. Eutychii mentio*. *Fortassis in tractum Spoletinum concesserat*, *ut lateret*; *& hinc Romam vel raptus est ad tormenta*, *vel ultro reversus*, *martyrii ansam invenit sub Maximiano*, *sub quo & S. Secundus coronatus dicitur*. Duplex docti viri allucinatio. Primum, quum ait, *nusquam in Martyrologiis Romanis B. Eutychii Presbyteri mentio*. Colitur enim die 15. Aprilis insigni elogio ex Dialogis S. Gregorii petito, ut in notis ad eam diem Baronius affirmat: Ferrarius autem acta illius ediderat in Epitome, quam cl. Joannes Bollandus consulere poterat. Deinde Eutychium Presbyterum S. Secundi Martyris æqualem confundit cum Eutychio Martyre Romano, cujus elogium S. Damasus Papa scripsit: nam *hujus Romani Martyris Eutychii*, ut Bollandus ipse ex Baronio notat, *corpus è dicto cœmeterio Callisti*, *ubi sepultus fuerat*, *translatum est ad Basilicam S. Laurentii*

Romano illo differre, quem Damasus versibus exornavit.

tii in Damaso, dictam ad Theatrum Pompeji. Istic sub ara majore asservari scribit Octavius Pancirolus in Thesauris absconditis Almae Urbis Regione 12. Ecclesia 3. In Indice Reliquiarum testatur, Brachium ejus unum exstare in Ecclesia S. Luciae in Silice, sive in Orphea. At vero corpus S. Eutychii Presbyteri, ac Martyris, cujus in actis S. Secundi fit mentio, ex eodem saltem Ferrario discere potuit Bollandus, in Surianensi Ecclesia coli. Etsi enim, dum in vivis esset Bollandus, acta latina S. Eutychii Presbyteri Ferentini & martyris erant inedita, adeoque de ipsis ne verbum quidem poterat proferre; Ferrarii tamen epitome jam vulgata fuerat, unde is colligere debebat Eutychium Romanum a Ferentino Martyre omnino diversum esse. Post obitum Bollandi, quum a Theseo Pennatio acta illa ad Godefridum Henschenium fuissent transmissa, quumque is acta S. Secundi Martyris Tom. 1. Junii pag. 51. edidisset, perspectis, perpensisque actis S. Martyris Eutychii Ferentini, in eam ivit sententiam, quod idem sit Eutychius noster, qui in actis S. Secundi laudatur, ut constat ex nota Tom. cit. pag. 54. *Egimus nos 15. Maji de S. Eutitio Presbytero, eumque sub Maximiano potius, quam sub Claudio passum ostendimus: curabat autem Ecclesiam Ferentinam in Hetruria, modico trans alteram ripam Tiberis intervallo.*

VI. *Eundem Eutychium Ferentinum differre ab Eutychio, sive Eutyche Martyre, Maronis & Victorini socio.*

VI. Baronius in notis ad diem 15. Aprilis distinguit quidem S. Eutychium nostrum Ferentinum, ab Eutyche, Marone, & Victorino, quorum commemoratio eadem die colitur; sed quando ille passus sit, asserit se non invenisse. Hinc ansa nonnullis est data, ut affirmarent hujus Eutychii nomen in Martyrologio Romano redundare: eumdem enim esse, ac Eutychen, Maronis, & Victorini socium: de hoc siquidem Eutyche loqui Martyrologia antiqua, qui una cum Marone, & Victorino lauream Martyrii adeptus est,

eſt, poſtquam cum Beata Flavia Domitilla apud inſulam Pontiam in Chriſti confeſſione exulaſſet, hoc brevi elogio, (1) quod legitur in vetuſtiſſimis Mss. Martyrologiis: *In Italia natalis Beatorum Martyrum, Maronis, Eutychetis, & Victorini.* Seu, ut habet Uſuardus (2) cum hac appendice: *In Italia beatorum Martyrum Maronis, Eutychetis, & Victorini, qui primo apud Inſulam Pontiam in Chriſti confeſſione longum ducentes exilium, poſtmodum ſub Principe Nerva, quum convertiſſent plurimos ad Fidem, juſſi ſunt variis interfici pœnis.* Aut demum juxta Martyrologium (3) Romanum poſtremo emendatum: *Eodem die* (15. Aprilis) *Sanctorum Martyrum Maronis Eutychetis, & Victorini, qui primo cum B. Flavia Domitilla apud Inſulam Pontiam in Chriſti confeſſione exules, poſtmodum ſub Principe Nerva liberati, quum plurimos ad fidem convertiſſent, in perſecutione Trajani a Valeriano* (4) *Judice variis pœnis juſſi ſunt interfici.*

---

(1) Triplex Martyrologium Sacroſanctæ Baſilicæ Vaticanæ ad diem 15. Aprilis, exſtat in Archivo ejuſdem SS. Baſilicæ.

(2) Exempla pervetuſta Uſuardi exſtant in Biblioth. Vatic. Codd. MSS. 835. 5415. 5418. 4773. 4849. & Cod.MS. Alexandr. Vat. 249. 429. Typis impreſſit Joannes Molanus Lovanii 1568., & iterum 1573.

(3) In primis Romani Martyrologii editionibus eadem habentur de SS. Martyribus Marone, Eutychete, ac Victorino, quæ apud Uſuardum. In ea vero, quæ ſub Gregorio XIII. emendata eſt, Baronius aliique Docti Viri quædam mutanda, & quædam addenda cenſuerunt, ut in citatis Martyrologii verbis videre eſt, a quibus non parum diſſentit Ado in ſuo Martyrologio ad diem 15. Aprilis, & 5. Septembris, quemadmodum præter impreſſos, conſtat ex MSS. Codicibus Vaticanis Alexandrinis 511. & 512.

(4) *A Valeriano Judice.* Acta SS. Nerei, & Achillei, quæ Baronius ipſe probat, *Aurelianum* habent, non *Va-*

sici. De Eutychio vero altero, quem nos Presbyterum Ferentinum dicimus, in antiquiis Martyrologiis, ajunt, ne verbum quidem fieri.

Verum nos ultro concedimus Eutychii nostri memoriam in Martyrologiis antiquis non reperiri; hæc duo tamen negamus: primum, eumdem alibi cultum non fuisse; deinde, non esse ipsum ab Eutyche Maronis & Victorini socio diversum. Alibi siquidem cultus fuit, idest in Ferentina, Viterbiensi, Hortana, & Surianensi Ecclesiis: quemadmodum ex dictis patet, atque ex iis maxime Henrici Bruni Hortani Episcopi verbis in Instrumento inventionis, & recognitionis corporis ejusdem anno 1496. confecto, ubi ait: *Quumque etiam Sacerdotes, & literatæ personæ dictæ terræ* [Suriani] *redditi certiores de inventione dictæ arcæ, seu Sepulcri ex tabulis marmoreis confecti, ad præfatam venerabilem Ecclesiam* [apud Surianum sitam] *cum Historia dicti Sancti accesserint, quæ singulis annis in festo dicti Sancti Sacerdotibus in Matutinis, & aliis horis Canonicis legebantur; ac cognoscentes ex Historia, & ex arcæ, seu Sepulcri compositione, & signis, illa fore ossa, & venerabiles Reliquias dicti Sancti*, hoc est, *Eutychii*. Cujus proinde festum singulis annis a Surianensibus celebrari, & Historia ad horas Canonicas a Sacerdotibus recitari consueverat.

VII. *Idque ostenditur tū ex Martyrio ejusdem Eutychii Ferentini Presbyteri; tum ex Actis Valentini, & Hilarii, Gratiliani, & Felicissimæ, atque Secundi Martyrum.*

VII. Ab Eutyche autem, seu Eutychete Sanctorum Martyrum Victorini Episcopi, & Maronis Presbyteri socio, Eutychium nostrum Ferentinum differre, ostendunt acta tum ipsius Eutychii nostri, tum SS. Nerei, & Achillei; necnon acta SS. Valentini & Hilarii, Gratiani & Felicissimæ, Demetrii Proconsulis, atque Secundi Martyris; quæ omnia Baronius vidit, atque laudavit, præter Eutychii nostri Historiam.

Et

lerianum. Mendum ergo irrepsit in Martyrologium Romanum, in quo SS.Maro, Eutyches, & Victorinus a *Valeriano* Judice dicuntur jussi interfici.

Et acta quidem Sanctorum Nerei, & Achillei nobis repræsentant *Eutychen* post ipsius Martyrium, quod Trajano Imperatore contigit, sepultum fuisse juxta locum ipsum, ubi agonem suum consummavit, idest, in media via XVI. ab Urbe milliario, via Nomentana, ubi Christiani Basilicam Deo in ipsius Martyris honorem exstruxerunt. En verba ipsa ex pervetustis Codicibus Mss. Vaticanis Alexandrinis 516. 539. & 541. a Bollandianis Patribus descripta ad diem 12. Maji pag. 11. quæ Surius edidit, sed dictione plerumque in gratiam Lectoris nonnihil expolita, quemadmodum iidem Patres observant. *Quum Aurelianus post martyrium Nerei, & Achillei ageret, ut ad Domitillæ possit pervenire consensum; dictum est illi a quodam, quod majorem haberet caritatem cum Eutychete, & Victorino, & Marone, quam habuerat cum Eunuchis suis Nereo, & Achilleo, qui eam docuerant Christo credere. Unde factum est, ut a Principe Nerva peteret eos sibi donari, si sacrificare noluissent. Qui quum viriliter agerent Eutyches, Victorinus & Maro, atque minas Aureliani penitus non curarent, deposuit eos de Insula & quasi servos per sua prædia singulos divisit, Eutychen in sextodecimo ab Urbe, via Nomentana; Victorinum vero in sexagesimo; Maronem vero in centesimo trigesimo, in eadem Salaria via; jussitque eos in terram fodere per totum diem, ad vesperum vero cantabrum manducare. Sed Deus omnipotens dedit eis gratiam in locis peregrinis. Nam Eutyches conductoris loci filiam a diabolo liberavit; Victorinus autem vicedominum loci paralyticum, per tres annos de lecto non surgentem, fecit orando incolumem. Maro vero morbo hydropis laborantem procuratorem civitatis Septempedæ liberavit. Interea facientes sermonem ad populum, docuerunt multos Christo credere, & facti Presbyteri, populum credentium ampliavere. Tunc diabolus replevit ira mentem Aureliani, & misit qui*

vario genere pœnarum interficeret eos. Nam Eutychen in media via diu cædi jussit, quamdiu spiritum exhalaret: cujus corpus rapuit populus Christianorum, & cum honore magno sepulto, in Christi nomine super eum Basilicam fabricavit. Ex iisdem Actis hæc Ado Viennensis in suum Martyrologium ad diem 15. Aprilis intulit Cod. Vat. Alexandrino 511., & 512. *Apud Italiam Sanctorum Martyrum Maronis, Euticetis, & Victorini. Qui cum B. Flavia Domitilla apud insulam Pontiam longum ducentes exilium, eamque in Christi confessione pio foventes solatio, invidia, atque insectatione Aureliani sponsi, & persecutoris ejus, quem illa ob Christum contempserat, postmodum a Principe Nerva eidem Aureliano in servitutem traditi sunt. Quos ille primum quasi servos per sua præsidia singulos divisit, jussitque eos terram fodere per totum diem, ad vesperum vero cantabrum manducare. Deinde quum plurimos ad fidem Christi converterent, & populum credentium ampliarent, repletus ira diaboli, misit, qui vario genere pœnarum interficerent eos. Nam Eutychen in media via tamdiu cædi jussit, donec spiritum exhalaret, cujus corpus rapuit populus Christianorum.* Pergit Martyrium Victorini, & Maronis, ut supra, describere: quod & repetit die 5. Septembris, tametsi Victorinum Martyrem ibi cum altero Victorino Confessore Sancti Severini fratre confundit, ut optime notat Baronius die 8. Junii, & 5. Septembris, & post ipsum Papebrochius in Prolegomeno ad vitam Sancti Severini. Hic igitur Eutyches, Victorini, & Maronis socius Trajani temporibus via Nomentana sextodecimo ab Urbe milliario, & passus, & sepultus est, ibique Ecclesia fuit a Christianis ad ejus tumulum extructa: adeoque ut cl. Joannes Marangoni (1) in actis

(1) Acta S. Victorini Episcopi Amiterni, & Martyris illustrata &c. Auctore Jo. Marangoni Presbytero Vicentino Romæ 1740.

actis S. Victorini Episcopi Amiterni & Martyris pagin. 46. recte observat, *ex non levi conjectura suspicamur, fuisse haud longe ab oppido, nunc Monte Libretto nuncupato, prope quod via Nomentana, indicata in actis, viæ Salariæ jungitur, trans aliud oppidum Ereti, vulgo Monte Rotondo. Ibi enim circa XVI. ab Urbe milliarium habetur parvum cœmeterium, de quo fit mentio a cl. viro Buldetto in suo opere lib. 2. cap. 18. pag. 575., & in quo corpus hujus Sancti Eutychetis depositum fuisse arbitramur, & in eadem crypta illi erectam fuisse ædiculam, seu Ecclesiolam, quæ in actis appellatur Basilica*. Quid? quod Sigebertus in suo Chronico ad annum 969. refert, *Theodoricum Metensem Episcopum ab Amiterno Eutychem martyrem cum reliquiis Maronis, & Victorini sociorum ejus sustulisse*: ac proinde certum esse videtur, jam antea corpus S. Eutychetis e memorato cœmeterio ad urbem Amiternum translatum fuisse, quamvis nulla exstet apud Amiternenses memoria translationis istius. At vero Eutychius noster anno 593. quo S. Gregorius Dialogos suos scripsit, in Ferentina Diœcesi sepulcrum, & Ecclesiam habebat, atque ut ex actis ipsius (1) compertum fit, postquam Ferentinam Presbyter curasset Ecclesiam, martyrium non sub Trajano, sed sub Maximiano subiit, non longe ab urbe Ferentina in Tuscia capite truncatus, cujus corpus B. Dionysius Episcopus inde, ubi passus fuerat, levatum, in crypta posuit, milliariis ab eadem Ferentina urbe fere quindecim.

Præterea Sanctorum Martyrum Valentini Presbyteri, & Hilarii Diaconi acta ex antiquissimo Codice eruta, qui quondam Viterbii in Ecclesia Cathe-

 drali

(1) Edita sunt ab Henschenio die 15. Maji, & a Pennatio in lib. cui titulus: *Vita del glorioso S. Eutizio Sacerdote e Martire* pag. 279.

drali servabatur, ex qua accepit illa Baronius, ut ipse testatur in notis ad diem 3. Novembris, nunc vero Romæ in Vallicellana Bibliotheca servantur, ut asserit Nardinus Episcopus Aquipendii, qui ea typis edidit Viterbii anno 1684. iterumque Pennnatius Monte Phalisco 1721. laudant *Eutychium Presbyterum, & Martyrem*, qui sub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus claruit. Postquam enim jussu Proconsulis in Tyberim Valentinus, & Hilarius projecti fuissent, hæc de S. Eutychio subjunguntur apud Pennatium pag. 326. *Quæstionarii autem, qui jactaverunt Sanctos Martyres, dum reverterentur, invasit eos ursus ferocissimus, & occidit ex eis amplius quam octo viros: & alii male mulctati fugerunt. Fugientes autem dicebant, quomodo ii servi Dei cultores veri erant Christi! Credamus igitur & nos in illum, in quem crediderunt & ipsi Beati Martyres Valentinus, & Hilarius. Et venientes perquisierunt B. Eutychium Presbyterum, qui erat absconditus: & quum invenissent, miserunt se ad pedes ejus dicentes: Pastor bone animarum Christo credentium, libera nos per tuam sanctam doctrinam, & demonstra nobis viam beatissimorum Martyrum Valentini Presbyteri & Hilarii Diaconi, quos injuste per imperium nequissimi Demetrii Proconsulis necavimus in fluvio. At B. Eutychius indixit eis triduanum jejunium, & die sancto Dominico baptizavit eos cum omni familia eorum.* Actorum hujusmodi veritas confirmatur ex Lectionibus (1) SS. Martyrum Valentini Presbyteri, & Hilarii Diaconi, quæ a Sacra Rituum Congregatione die 19. Augusti anno 1662. approbatæ, recitantur in Ecclesia Cathedrali Viterbiensi. Nam Lectione V., eadem, quæ supra, de Beato Eutychio narrantur. Deinde in actis S. Demetrii Pro-

(1) Lectiones istæ habentur apud eumdem Pennatium in Vita S. Eutychii pag. 337.

Proconſulis, qui poſt martyrium SS. Valentini & Hilarii ad fidem Chriſti converſus, & pro eadem fide martyr occubuit, apud Henſchenium Tom. 3. Maji pag.459., & apud Pennatium pag.339. de eodem S. Eutychio Presbytero, & Martyre hæc leguntur. *Poſt multum vero tempus dolore ilii percuſſus eſt Demetrius Proconſul, qui æſtuans, atque anhelans cucurrit citius, & veniens ubi corpora Sanctorum Martyrum requieſcebant, & projiciens ſe in pavimento, cæpit clamare, & dicere. Succurrite mihi Servi Dei excelſi, & nolite me amplius torquere. Tunc Sancti dederunt ei ſoporem ſomni, & per viſionem dixerunt ei: Fac venire ad te Eutychium Presbyterum, & ipſe te ſaluti reſtituet. Tantum monita illius ſerva, & noli jam amplius incredulus eſſe.* Reliqua. Habemus hic Eutychium Presbyterum, non Maronis & Victorini, ſed Sanctorum martyrum Valentini Presbyteri, & Hilarii Diaconi, & Demetrii Proconſulis æqualem, de quibus Martyrologium Romanum die 3. Novembris; in eo vero, quod juſſu Gregorii XIII. ex Typographia Dominici Baſæ anno 1583. prodiit, die 14. Januarii fit commemoratio.

His accedunt acta Sanctorum Martyrum Gratiliani, & Feliciſſimæ, quæ ex pervetuſto codice manuſcripto in folio majori membraneo Sacrarii Eccleſiæ Cathedralis Caſtellanæ deſcribit ſæpe laudatus Pennatius pag.341. Vidit hæc acta Baronius, ut notat ad diem 12. Auguſti. In his autem Sanctorum actis diſerta fit mentio *S. Eutychii Presbyteri*, a quo baptizatus perhibetur *S. Gratilianus*, quem alii *Gracilianum* vocant, & *S. Feliciſſima Virgo* ſacro Chriſmate peruncta. Et de Gratiliano quidem num.XI. hæc leguntur: *Dum hoc legiſſet B. Gratilianus, ambulavit ad B. Eutychium Presbyterum, & dixit ei: Conjuro te per Chriſtum, quem tu prædicas, ut dicas mihi qualem acquiſitionem a Chriſto acquirant, qui & eum*

confessi fuerint, & crediderint ei. Respondit autem Eutychius Presbyter, dicens: Quicumque crediderint Christo, habebunt vitam æternam, & remissionem peccatorum. Tunc dicit ei Gratilianus: Per lectiones Evangeliorum divinas te conjuro, ut non tardes mihi fidem Christi demonstrare, & baptizare me. Et fecit eum catechumenum, & post triduum baptizavit eum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Felicissima vero, postquam ejusdem Gratiliani precibus a cæcitate curata est, ab eodemque Baptismum recepit, ad B. Eutychium missa dicitur, ut sacro Chrismate liniretur. *Et dum baptizata esset, agens gratias Deo, & Beato Gratiliano, qui eam illuminavit per Christi virtutem; dicit ei B. Gratilianus: Ambulate ad B. Eutychium Presbyterum, & ipse vos linibit Chrismate salutis, ut perfectam cognoscatis viam Christi. Ambulantes vero ad B. Eutychium Presbyterum, miserunt se ad pedes ejus dicentes: Per Christum te conjuramus, quem cognovimus per famulum ejus Gratilianum, ut non tardes nos linire Chrismate salutis, quia ipse nos huc ad vos direxit. Et linivit, & consignavit eam Chrismate salutis, & docebat eam, ut Christum diligeret.* Nisi dicamus hunc Actorum locum (1) corruptum esse, aut de unctione Chrismatis in vertice, non in fronte, intelligi: Pennatius pag. 45. & 357. *Antiquitati*, inquit, *consonum reperitur hoc B. Eutychii factum: primis enim sæculis post Baptismum Confirmatio; post Confirmationem, eodem tem-*

(1) Eadem fere habentur in Actis S. Secundi Martyris: sed in iis dicuntur Quæstionarii a S.Eutychio Presbytero *baptizati, & confirmati in Fide S. Trinitatis*. Unde suspicamur, hic quoque de S. Felicissima olim scriptum fuisse, quod ab eodem Eutychio *confirmata sit in Fide S. Trinitatis*: Quæ verba postmodum a recentiori amanuensi ad Sacramentum Confirmationis sint traducta.

tempore ſacra Euchariſtia initiatis conferebatur; *ut obſervat Schelſtratius tom.*1.*antiquit. diſſert.*2. *cap.* 7. *num.*2. *pag.*200., *&* *Pagius junior in Breviario ſecul.V. in S. Hilar. Papa num.* 14. *pag.* 213. Confirmantur hæc ex Epiſtola Sanctiſſimi Domini Noſtri Benedicti XIV. cujus titulus, *Inſtructio Paſtoralis ſuper nonnullis dubiis circa Cophtorum ritum*, edita die 4. Maji 1745., in qua Doctiſſimus Pontifex ad primum dubium ſic pronunciat. *Prætcrea licet apud Occidentales etiam Eccleſias in more poſita quandoque fuerit Baptiſmatis, & Confirmationis ſimultanea collatio, & hæc conſuetudo in aliquibus Diœceſibus anteacto tempore inoleverit juxta exempla relata a Vicecomite in tract. de Confirmat. cap.*14., *& a Martene de antiquis Eccl. ritibus lib.*1. *cap.*2. *art.*1. Idem videre eſt in vita S. Suſannæ apud Surium die XI. Auguſti cap.12. de Claudio & Maximo a Cajo Pontifice poſt Baptiſmum Chriſmate conſignatis, quibus ſacra Euchariſtia fuit poſtremo loco porrecta. Sed inter illa acta, & iſta S. Eutychii, hoc intereſt, quod ibi Cajus Epiſcopus, non Gabinius Presbyter, Maximum & Claudium Chriſmate linivit; hic vero Eutychius Presbyter Sacramentum Confirmationis adminiſtraſſe dicitur: id quod niſi ex delegatione Summi Pontificis, peragi nequivit. Eam autem delegationem in iis præſertim Perſecutionis temporibus factam Eutychio oportet, ſi fides actis eſt adhibenda: ut conjicit cl. vir Franciſcus Mariani in erudita diſſertatione de *Etruria Metropoli* pag.263. ad annum Chriſti 306. ubi ait, S. Eutychium vacantis tunc Eccleſiæ Tuſcanienſis Epiſcopi vices geſſiſſe. Sed quidquid ſit de eo Eutychii facto, paſſi ſunt *Gratilianus*, & *Feliciſſima* Martyres *C. Galerio Maximiano Imperatore*, ut arbitratur Pennatius pag.234., ubi nomen *Claudii*, quod in actis SS. Martyrum Eutychii, Gratiliani & Feliciſſimæ obrepſit, oſtendit eſſe amanuenſium ſphalma, quod non

iſtis

istis tantummodo, sed aliis quamplurimis actis accidisse, certum est, & apud eruditos viros indubitatum. Eutychius vero una cum Marone, & Victorino sociis, sub Nerva, & Trajano Imperatoribus, in Christi confessione claruit; adeoque inter utrumque Eutychium, spatium ducentorum annorum intercessit.

Tandem utriusque Eutychii discrimen comprobatur ex iis, quæ de S. Secundo Martyre ex manuscriptis Codicibus Eugubino, & Bodecensi refert cl. Henschenius ad diem 1. Junii pag. 53. Hunc enim Martyrem sub Diocletiano passum fuisse exponitur in Martyrologio Romano his verbis: *Ameriæ S. Secundi Martyris, qui sub Diocletiano in Tyberim projectus, martyrium consummavit*. In Actis autem hujus Martyris, quæ Baronius laudat in hæc verba: *de quo Tabulæ Ecclesiæ Amerinæ, & vetera monumenta ejusdem Ecclesiæ, quibus ejus acta descripta habentur*: diserta fit mentio B. Eutychii Presbyteri, a quo baptizati dicuntur Quæstionarii, qui sanctum Secundum in Tyberim dejecerant. *Et completa oratione, projecerunt eum* (idest, sanctum Secundum) *in Tyberim, & reversi sunt: quos statim Dei nutu invasit ferocissimus ursus, & occidit ex iis octo viros; cæteri vero dilacerati fugerunt. Confitentes vero Christum, quem credidit B. Secundus, venerunt ad B. Eutychium Presbyterum, miseruntque ad pedes ejus se, dicentes: miserere nostri Domine, & doce nos fidem Beati Secundi, quem nos injuste per jussionem Dionysii necavimus in fluvio, & fac nos Christi esse consortes. Beatus Eutychius dixit eis: Si ex toto corde in Christum creditis, omnia condonantur vobis. At illi una voce dixerunt: credimus in Christum, in quem credidit B. Secundus. Et accepta aqua, baptizavit eos, & confirmatos in fide Sanctæ Trinitatis dimisit in pace; erant autem viri duodecim*. Eadem habet manuscriptus Codex Ecclesiæ Per-

Pergulanæ apud eumdem Henſchenium pag.56. *Poſtmodum miſſus ad Ameliam, plumbum bulliens mergitur in os ejus; & projectus in Tyberim cum mola ad collum: quæſtionariis redeuntibus venit urſus, & occidit octo ex eis, alii autem qui evaſerunt, baptizati ſunt a S. Eutitio*. Eutitius enim, & Eutychius promiſcue vocatur: de quo idem Henſchenius in notis ad Codicem Eugubinum, & Bodecenſem pag.54. *Egimus nos 15. Maji de S. Eutitio Presbytero, eumque ſub Maximiano potius, quam ſub Claudio, paſſum oſtendimus; curabat autem Eccleſiam Ferentinam in Hetruria, modico trans alteram ripam Tyberis intervallo*. Scio, hæc, quæ de quæſtionariis poſt S. Secundi martyrium narrantur, verbum fere ad verbum haberi in actis SS. Valentini Presbyteri, & Hilarii Diaconi, quæ ſupra retulimus. Verum non eſt hic noſtrum, quæcumque in actis Martyrum exponuntur, ad lydium examinis lapidem revocare. Quamplura ſunt acta, quæ additiones hujuſmodi retinent, ſive detractiones, aut mutationes: quæ tamen non ſunt idcirco penitus rejicienda, quum hoc nihil referat quantum ad hiſtoriæ veritatem, ſed *Scriptorum culpæ ſit adſcribendum, dum de emendatis inemendata ſcriptitant*, ut ait S. Hieronymus Præfat. in librum Paralipomenon: hujuſmodi enim corruptelæ, eodem Hieronymo teſte in Præfat. ad Evangelia, inde provenire ſolent, *vel quia a vitioſis Interpretibus quædam ſunt male reddita; vel a præſumptoribus imperitis emendata perverſius, vel a librariis dormientibus aut addita, aut mutata*. Eminentiſſimus Baronius in notis ad Martyrologium Romanum ſæpiſſime corruptelas hujuſmodi in actis ſanctorum deprehendit, cenſorio calamo perſtringit, & emendat; quin tamen acta ipſa penitus rejiciat. Inſtar omnium, quæ huc congerere poſſem, hoc unum ſatis ſit. In notis ad diem 1. Septembris de S. Priſci Epiſcopi & Sociorum vita ſic pronunciat.

Quiſ-

Quisquis fuerit ejus Auctor, constat quidem inscitia rerum, ac temporum, nonnulla veritati contraria admiscuisse, ut ea, quæ in ejus principio leguntur de Valente, & Valentiniano Augustis, quos dicit acerbissime Dei Ecclesiam persequutos esse, eorumque auctoritate hos sanctos Episcopos Africa pulsos, navique cariosæ impositos, ac maris tempestati commissos. Id factum Baronius ad Vandalicam potius persecutionem refert: *Quæ enim in persecutione Vandalica facta sunt, inconsulte admodum Auctor ille Valentiniano, atque Valenti Imperatoribus adscripsit*. Quidquid autem sit, sive auctor vitæ S. Secundi Martyris hoc factum ex actis SS. Valentini, & Hilarii mutuatus fuerit: (quod vero propius existimo, quum hæc acta sint longe vetustiora:) sive potius id post obitum SS. Valentini & Hilarii gestum dicatur, quod in aliis Codicibus de S. Secundo Martyre legebatur; sive demum utrumque factum ita vere contigerit, uti utrobique narratur; constat tamen ex utraque Sanctorum Martyrum vita, B. Eutychium Presbyterum Ferentinum, tam Sanctorum Valentini, & Hilarii, quam S. Secundi æqualem fuisse; ac proinde Diocletiani & Maximiani temporibus claruisse; ab eoque Eutyche differre, qui Sanctæ Flaviæ Domitillæ, Maronis, & Victorini socius, Trajano imperante lauream martyrii est adeptus.

VIII. *Eutychium Ferentinum differre etiam ab aliis Eutychiis quorum Sigebertus, & alii meminere.*

VIII. Sigebertus in Chronico ad annum 969. binos *Eutychios* memorat, quorum Reliquias ex Italia in Gallias a Theodorico Metensi Episcopo, & ab Imperatore Othone translatas affirmat: unum videlicet, quem supra diximus, socium Victorini & Maronis fuisse; alterum, quem ipse Sigebertus appellat *socium S. Elpidii Confessoris*. *Hoc anno*, inquit, *Theodoricus Metensium Episcopus, Imperatori* (Othoni I.) *sanguine, dilectione, ac familiaritate cæteris devinctior, dum in Italia expeditione per triennium sub eo militaret, multa capita, & pignora Sanctorum de diver-*

versis Italiæ locis, quocumque modo potuit, collegit. Primum è Marsia S. Elpidium Confessorem, cujus socium Eutychium Episcopum ipse Imperator jam sustulerat. Ab Amiternis Eutychetem Martyrem cum Reliquiis Maronis, & Victorini sociorum ejus. Hactenus Sigebertus. Meminit hujus translationis Baronius tam in annalibus ad annum *969.*, quam in notis ad Martyrologium Romanum die 2. Septembris. Verba ejus hæc sunt. *Scribit Sigebertus, sacras Reliquias S. Elpidii socii S. Eutychii Episcopi a regione Marsorum translatas esse in Gallias anno Domini 969.* Quis vero fuerit Eutychius ille Episcopus, non exponit. Elpidium autem Abbatem fuisse, cujus nomine oppidum in Piceno idcirco appellatum, quod sacrum ejus corpus se possidere congaudet, ibidem tradit: quem & Petrus in catalogo lib.8. cap. 28. Cappadocem genere fuisse ait: adeoque ille Baronio videtur, de quo præclara Palladius narrat cap.37. Ut ut sit, Eutychius iste Episcopus & Confessor a nostro Eutychio Presbytero Ferentino differt, non modo ob dignitatem Episcopalem, qua ornatus fuisse dicitur; sed etiam quia socius Elpidii Abbatis fuit, & quia sacræ ejus Reliquiæ in Gallias sunt translatæ: ubi noster Eutychius adhuc in Surianensi Crypta colitur, estque Presbyteratus, & Martyrii honore insignis.

IX.
Item alium esse Eutychium Ferentinum ab Eutyche illo, qui in Umbria claruit.

IX. Idem dicendum de aliis Eutychiis martyribus, quos supra recensui. Nemini eorum conveniunt, quæ de Eutychio Presbytero Ferentino ac Martyre ex certa majorum traditione, & ex authenticis documentis sunt producta; Acta scilicet, martyrium, locus sepulturæ, Ecclesia demum Surianensis, in qua sacrum ejus Corpus fideles venerantur. Ubi cæteri, quorum Catalogum supra texui, Martyres Eutychii, neque in hac Tusciæ parte sunt passi, neque ibi sepulti, aut Ecclesiam habuere: sed ut ex Martyrologiis constat, sanguinem pro Christo fuderunt Carrhis

in Mesopotamia, Alexandriæ in Ægypto, in Mauritania Cæsariensi, in Thracia, Ancyræ in Galatia, in Asia, in Cilicia, Cyzici, Thessalonicæ, Messanæ, Syracusis, Aquilejæ, Puteolis, Comi. Is verò, quem Acta S. Concordii Presbyteri, & Martyris Spoletini apud Usuardum die 1. Januarii exhibent, *Eutyches* in Umbria quidem floruit; verum solitariam ibi vitam sub Anthimo Umbriæ Episcopo egit, non Presbyter fuit, neque Ferentinam Ecclesiam sub Dionysio Episcopo rexit, neque martyrium passus legitur, aut quo mortis genere ex hac luce migraverit, de ipso narratur. Nulla ergo auctoritate, nullo fundamento de aliis Eutychiis posset quis id affirmare, quod nos ex S. Gregorio I., ex S. Leone IV., ex perantiquis Sanctorum Actis, & ex Instrumento Inventionis, & Recognitionis sacrarum Reliquiarum de S. Eutychio nostro Presbytero Ferentino, & Martyre demonstravimus.

X. *De Ecclesia, & Festo ejusdem S. Eutychii Presbyteri & Martyris, apud Surianenses, deque manna & sanguine inde scaturientibus.*

X. Hujus quidem Ferentini Eutychii nomen, quum in antiquis Martyrologiis, ut diximus, nequaquam inscriptum fuerit, non est tamen dubitandum, quin ejus cultui certum diem Ferentini, Viterbienses, Hortani, ac Surianenses olim assignaverint, in iis præsertim Ecclesiis, ubi ipsius Reliquiæ habentur. In Manuscripto Hortano, quod ex Autographo Ferentino exaratum videtur, prodiit autem apud Pennatium pag. 279., passus dicitur *die XV. Maii. Tunc spiculator tenens gladium, uno ictu percussit, & migravit ad Dominum Idibus Maji*. Eadem leguntur in Codice MS. Ecclesiæ Cathedralis Viterbiensis, quem publici juris fecit cl. Henschenius ad diem 15. Maji pag. 460. *Tunc Spiculator tenens gladium, uno ictu percussit, & migravit ad Dominum sub die Iduum Maji, hoc est die decima quinta mensis Maji*. Hanc autem diem XV. Maji Eutychio Presbytero, & Martyri olim apud Surianenses, qui sacrum ipsius Corpus

pus possident, nuncupatam fuisse, liquet ex Instrumento recognitionis Corporis ejusdem ab Henrico Bruno civitatis Hortanæ, & Castellanæ Episcopo anno 1496. factæ, ubi Acta illa, quæ ex manuscripto Ecclesiæ Viterbiensis supra laudavimus, in quinque Lectiones divisa, *singulis annis in festo ejusdem sancti Martyris a Sacerdotibus in Matutinis, & aliis Horis Canonicis recitari consuevisse perhibentur*. Addit Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ex Tabulis Ecclesiæ Hortanæ, & Surianensis, ubi S. Eutychius præcipue uti Tutelaris, ac Patronus colitur, non eum tantum diem sacrum Eutychio esse, sed alios præterea dies: *Cujus Corpus*, inquit, *a Beato Dionysio Episcopo a Clericis adjuto noctu sepelitur in crypta: ex qua aqua infirmis sanitatem impertiens, usque in præsens scatere dicitur, & manna pluries colligi, præsertim in festo Paschatis, Pentecostes, Assumptionis, & hac die* (XV. Maji) *quibus anni temporibus ad Eutitii Ecclesiam* (*quæ in Hortana Diœcesi constructa, haud mediocrem apud finitimos populos venerationem habet*) *Processio fieri consuevit*. Andreas Guidus in Appendice ad Tullium Cimam, qui Martyrium S. Eutychii de Latino in Italicum sermonem transtulerat, apud Henschenium pag. 463. præter memoratos a Ferrario dies, etiam primum Maji in honorem S. Eutychii celebrari affirmat. *Insuper feria secunda Paschæ, & simili feria Pentecostes, nec non die prima, & decimaquinta Maji, solet dicta Ecclesia ab immemorabili tempore processionaliter visitari a Clero, atque a Confraternitatibus quinque ibidem canonice crectis intervenientibus cum Magistratu loci præcipuæ cujusque notæ personis*. Denique ex eodem Tullio Cima, ejusque continuatore Andrea Guido cl. Henschenius pag. 462. tractatum integrum actis Eutychianis subjungit, cui Titulus: *Analecta de Ecclesia S. Eutitii & Manna ibidem scaturiente*: qua de re fusius post Henschenium

 agit

agit Splendianus Andreas Pennatius lib. 4. cap. 8. & ſeqq. in erudito Opere, quod Italice compoſuit, hoc titulo prænotatum: *Vita di S. Eutizio Sacerdote e Martire*; evulgavit autem *Monte Phaliſco, typis Seminarii anno* 1721. Idem Auctor lib. 4. cap. 11. non ſolum Manna ſcribit ex Tiburtini lapidis tabula ſcaturire; ſed etiam Sanguinem bis emanaſſe; anno ſcilicet 1686. die 19. Martii, & anno 1714. die 2. Aprilis, cujus facti authenticum documentum aſſerit fuiſſe confectum, ejuſque tria exempla ſervari: primum apud Surianenſem S. Eutychii Confraternitatem: alterum in Cancellaria Epiſcopi Hortani: tertium denique Romam ad Sacram Rituum Congregationem tranſmiſſum. Qui enim S. Gregorii Papæ temporibus Redempto Epiſcopo apparens, publicam Italiæ calamitatem prænunciavit, idem nunc quoque manifeſtis hiſce ſignis cultores ſuos monere non ceſſat, *ut fugiant a facie arcus*.



CA-

CAPUT VI.

De actis S. Eutychii Presbyteri & Martyris.

I. CTA S. Eutychii Martyris, uti ex Codicibus Hortano, Viterbiensi, & Surianensibus sunt descripta, genuina esse, & sincera, contendit Pennatius a pag. 167. ad pag. 233., *Nos*, inquit pagin. 231. *antiquitatis argumenta in his actis supra vindicatis, praeter enumerata in face prodroma num. XI., & enumeranda pluteo 3. cap. 1. num. 8. hoc loco selegimus a stylo, a concordia, & similitudine cum aliis Actis sinceris, a vocibus, a phrasibus, & a vetustatis moribus relatis. Acta nostra S. Martyris Eutychii stylo simplici sunt conflata, sicut & alia Acta recensita, quod est symbolum antiquitatis, ut diximus hoc pluteo, cap. 2. object. 2. praecip. num. 4. Habent haec Acta concordiam, & similitudinem cum aliis Actis sinceris, ut videre est ex not.* 1. 3. 4. 9. 23. 28. 29. 37. 40. 47. 52. 54. 60. 68. 74. 76. 78. 79. *In Appendice vero not.* 1. *Voces antiquae sunt illae praecipue*, Apparitores, Tribunus, Spiculator, Magi, *idest Christiani, ut Ethnici saeculis illis fideles vocitabant, & advertimus not.* 21.; *& in Acta SS. Gratiliani, & Felicissimae not.* 27. *Phrases antiquissimae sunt illae*, de Christi negotio, *not.* 6. celebrare divina mysteria, *not.* 7., *&* 12., *& in Acta SS: Gratiliani; & Felicissimae not.* 15. Intimabo doctrinam tuam Claudio *not.* 52. florent orationes Sanctorum, *not.* 79. *Mos antiquus vigilandi in sepulcris Martyrum, not.* 76. Pergit acta etiam vindicare SS. Valen-

I. *Propugnantur acta S. Eutychii Martyris tamquam sincera.*

lentini & Hilarii, & SS. Gratilani & Feliciſſimæ, iiſdem fere argumentis.

II. *Notantur tamen aliquot menda, quæ in iiſdem actis obrepſere.*

II. Nos vero, antiquitatem quidem Actorum hujuſmodi libenter cum Pennatio admittimus: exſtabant enim in pervetuſtis Codicibus Eccleſiarum Viterbii, Suriani, & Hortæ, eaque Baronius ipſe, ſi habuiſſet, non ſecus amplexus fuiſſet, ac illa acta, quæ idem probat SS. Gratiliani & Feliciſſimæ, SS. Valentini & Hilarii, & S. Secundi, in quibus pars rerum ab Eutychio Martyre geſtarum continetur. Eorum præterea diſerta fit mentio anno 1496. in Inſtrumento Inventionis & recognitionis corporis S. Eutychii confecto ab Henrico Bruno Epiſcopo Hortano, ut ſupra notavimus. Verum eadem Acta mendis nonnullis ſcatere, fateri cogimur cum Tillemontio, qui doctas in illa obſervationes ſcripſit, quas mox referemus. Hoc & Pennatius ipſe non negat, quum pagin.231. ingenue pronunciat: *Neceſſe eſt tamen, ut memoriæ occurrat (quod multis in locis repetitum eſt) ſphalmata, & Actorum nævos per amanuenſes, & ſciolos, Satana adnitente, fuiſſe ut plurimum immiſſos, ut illorum obliteratione, fructum ex ipſis in Eccleſia Dei diſpergeret, atque inter literariam Rempublicam tricas, & jurgia diſſeminaret. Sed juſtitiæ leges non patiuntur, ut oculi emiſſitii in hujuſmodi vitia a dæmone diſſeminata tantummodo conjiciantur; a pretioſis vero venerabilis antiquitatis gemmis, quæ in Actis rutilant, removeantur. Reſpiciendum bonum; reſpuendum malum, ſi quid in ipſis arte dæmonum, ut loquitur Arnobius alibi citatus, inveniatur immixtum.*

III. *Statuitur S. Eutychii martyrium non ſub Claudio, ſed ſub C. Galerio Maximiano.*

III. Quæ igitur in hiſce Actis Tillemontio diſplicent, hæc ſunt. *Acta illa*, inquit tom.5. hiſt. Eccleſ. not.58. in perſecutionem Diocletiani, *Sanctum Eutychium notant ſub magna perſecutione, quæ inſurrexit, ut eadem teſtantur, tempore* Claudii *Imperatoris. Et revera S. Gratilianus, de quo illa loquuntur, paſſus eſt*

est sub Claudio, si ipsius Actis credendum est: hoc autem asserunt contigisse quarto hujus Imperatoris anno: quod tamen intelligi nequit de Claudio II., qui nec tribus regnavit annis: neque de Claudio I., qui nullam Christianis intulit persecutionem. Occurritur huic objectioni, dicendo, *Claudii* nomen pro *C. Galerio Maximiano* obrepsisse. In I. Lectione SS. Martyrum Valentini & Hilarii nomen Maximiani exprimitur: *Tandem Viterbium appulerunt Maximiano Augusto Imperatore.* Item in Actis S. Secundi, & in Martyrologio Romano die 1. Junii dicitur *S. Secundus sub Diocletiano in Tiberim projectus.* Hanc in rem multa exempla scite congerit Pennatius pag. 245. & seq. ut ostendat non statim tota Sanctorum acta rejicienda esse ob invectum nominum, vel locorum, aut annorum errorem.

IV. *Nævi aliquot in iisdem actis notantur.*

IV. Addit Tillemontius: *Explicatio illa in Actis apposita, quod Idibus Maji sit dies decima quinta mensis, multam sapit novitatem. Insuper oratio illa S. Eutychii: Precor te, ut omnes, qui nomen meum invocaverint, & ad te conversi fuerint; habeant partem nobiscum in æterna secula; & qui in isto seculo de quacumque infirmitate, vel tribulatione digne clamaverint, petitiones suas impetrare mereantur; hæc,* inquam, *oratio satis est, ut hæc acta ulterius non expendamus.* Non est opus hic multum immorari: nam diximus supra, sinceris etiam actis Martyrum, nonnulla a librariis addita, inter quæ explicationem illam recensemus, & orationem S. Eutychii: quidquid dicat Pennatius pag. 175., ubi eamdem orationem tamquam genuinam actorum partem propugnare conatur. Hujusmodi additamenta nihil actorum substantiæ officere, ostendunt exempla quamplurima apud Ruinartium de S. Sotere pag. 380. Florentinium de Tuscia Christiana pag. 268. de S. Romulo Episcopo Fesulano: Baronium tom. 3. de S. Petro Martyre Episcopo

scopo Alexandrino, & alios. Habes quoque exemplum de Chronico Eusebiano, cui fuerunt additi anni Christi, quos *certum est* (ut inquit Schelstratius tom.1. antiq. dissert.3. cap.1.) *nec ab Eusebio positos, nec a D. Hieronymo; quandoquidem hic modus numerandi auctore Dionysio Exiguo primum introductus sit post seculum quintum, tempore Justiniani Imperatoris.* Demum in Actis Sanctorum, quæ a Simeone Metaphraste sunt edita, longe majora cernuntur additamenta, quibus tamen veritas historica non offenditur.

V. *Corollarium.*

V. Ex hactenus dictis manifeste, ut opinor, colligitur, Ferentinæ in Tuscia civitati Episcopos Bonifacium, & Redemptum præfuisse: in eadem insuper urbe claruisse una cum Dionysio Episcopo, Diocletiani, & Maximiani temporibus, etiam sanctum Eutychium Presbyterum, & Martyrem, qui vulgo Eutitius dicitur. Hunc denique Eutychium eumdem esse, qui a S. Gregorio laudatur, cujus Acta Henschenius, & Pennatius producunt, qui demum in Ecclesia Surianensi die 15. Maji, in Romano autem Martyrologio die 15. Aprilis colitur. Quæ omnia si Baronius expendisset, futurum fuisse existimo, ut pro eo, quo veritatem semper coluit, studio, neque diem 15. Aprilis sancto Eutychio Ferentino Presbytero, & Martyri assignaret; neque in ipsius Elogio Appendicem illam, *Ferentini in Hernicis*, quæ in priori Martyrologii editione non exstabat, apponendam censeret; sed illud potius de ipso affirmaret, quod de S. Bonifacio scripsit, *Ferentini in Tuscia* Episcopo. Hoc sane nobis pollicemur, ingenium Sanctissimi illius Cardinalis, indolemque spectantibus, qui comperta postmodum veritate, non est veritus priorem suam sententiam disertis verbis retractare. Quum enim in ea, quam anno 1584. adornaverat, notisque illustrarat, Martyrologii Romani editione, ad diem 1. Junii S. Pro-

culi

culi elogium his verbis texuisset: *Bononiæ Sancti Proculi Episcopi, & Martyris, qui sub Maximiano Imperatore passus est*: nactus postea certiorem de eodem sancto Martyre notitiam, quem militem fuisse, non Episcopum deprehenderat; errorem ingenuè fatetur, & emendat, inquiens in Annalibus ad annum 303. num. 122. *Sed Bononiensis nobilis Civitas præclaros habuit Martyres Vitalem, & Agricolam, Hermetem, Aggæum, & Cajum. Sed & Proculus quoque tunc ibi insignitus est corona Martyrii, clarissimus fama Martyr. Verum quod ejus Martyris Acta deperdita sunt, alia commentandi occasio data est. Sed consule a nobis notata in Romanum Martyrologium, in quo errore scripsi nomen Episcopi.* Dixisset utique ad rem nostram de S. Eutychio: *Consule notata a Nobis in Martyrologium Romanum, in quo per errorem scripsi, Ferentini in Hernicis*: visisque hujus sancti Martyris Actis, quæ ipsius Baronii tempore in Ecclesia Surianensi jam recitabantur, ut ex Instrumento Henrici Bruni Episcopi Hortani anno 1496. confecto liquet; hanc notam apposuisset: *Consule notata a Nobis in Martyrologium Romanum, in quo per errorem scripsi: Quando hic passus sit, non invenimus*: Hoc denique Elogio sanctum nostrum Eutychium Ferentinum Presbyterum, ac Martyrem exornasset: *Meminit ejus Ecclesiæ S. Gregorius Papa lib. 3. Dialogorum cap. 38, in Redempto Episcopo.*



CAPUT VII.

Unus ne, an duo Eutychii Presbyteri Ferentini fuerint.



ANUM è tabula ſubduxeram, quum eruditum opus clariſſimi viri Hieronymi Andreuccii Societatis Jeſu de SS. Valentino Presbytero, & Hilario Diacono Martyribus Viterbienſibus attentius expendenti, ſcrupulus injectus eſt circa Eutychium noſtrum Ferentinum Presbyterum; unus ne fuerit, an duo?

I. *Cauſa dubitādi, an duo Eutychii Ferentini Presbyteri fuerint?*

I. Dubium oritur ex actis ipſius Eutychii Martyris, in quibus corona Martyrii redimitus dicitur ſub Claudio Imperatore. *Temporibus Claudii Auguſti Cæſaris perſecutio magna in Chriſtianos orta eſt.* & paulo poſt. *In eodem tempore B. Eutychius Presbyter reverſus fuerat in civitatem Ferentinam.* Id ipſum habent acta SS. Gratiliani, & Feliciſſimæ, quorum æqualis Eutychius fuit: nam Gratilianum ipſe baptizavit, & Feliciſſimam in fide confirmavit: ſic autem incipiunt: *In eo tempore, quo Claudius Cæſar per omnem orbem terrarum, qui erat ſubjugatus ejus imperio, quarto anno Imperii ſui edictum propoſuit, ut ubicumque fuiſſent Galilæi inventi, ſine auditione punirentur.* Quum igitur (ut inquit P. Andreuccius pag.81.) ex laudatis actis conſtet S. Eutychium ſub Claudio Imperatore claruiſſe, qui Chriſtianam fidem in Tuſcia ſuburbicaria diſſeminavit; quumque nemo unus eorum, qui catalogum Martyrum ſub Diocletiano & Maximiano coronatorum ex antiquis documentis texuere, eumdem Eutychium tunc temporis paſſum fuiſſe ſcribat; colligit

git vir doctus, duos fuisse Eutychios; alterum antiquiorem de Tusciæ Christianitate bene meritum, Ferentinum Presbyterum, sub Claudio Imperatore passum, qui Suriani colitur; alterum recentiorem, temporibus Diocletiani, & Maximiani, Sanctis Valentino, & Hilario æqualem: aut saltem, si unus tantum fuisse Eutychius noster dicatur, ex eo arguit, Eutychii nomen, resque gestas in actis SS. Valentini & Hilarii, & S. Secundi, amanuensium inscitia, aut fraude perperam obrepsisse, quod ille longe ante illorum tempora exstiterit, sub Claudio nimirum, non sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus. Suspicatur enim, Auctorem Actorum tum S. Secundi, tum SS. Valentini & Hilarii, populari vulgi traditione deceptum, quæcumque de S. Eutychio audiverat, ipsum videlicet primo Christi seculo evangelicam lucem Tusciæ intulisse; hæc eadem ad ipsum Eutychium transtulisse, quæ in actis SS. Secundi Ameriæ, Landi Ortæ, Valentini & Hilarii Viterbii, Gratiliani & Felicissimæ Phalari, de propagata ibidem quocumque modo, amplificataque Christiana fide legerat.

II. *Ex Florentinio suspicatur cl. Andreuccius, Eutychium nostrum fuisse S. Ptolemæi Tusciæ Apostoli socium, eumdemque patria Syrum Antiochenum.*

II. Et huic quidem opinioni Florentinius prævit, qui in suo opusculo *de Tusciæ prima Christianitate* cap. 3. scribit, S. Eutychium, qui Suriani colitur, unum fuisse è sociis *S. Ptolemæi Episcopi, discipuli S. Petri, & Martyris, qui ordinatus Episcopus ab eodem Petro* (ut inquit Baronius in notis ad Martyrolog. Rom. die 19. Octobris:) *in Tusciam missus est prædicare Evangelium; qui & martyrio coronatus est IX. Kalend. Septembris, ut ejus acta declarant, quæ accepimus ab Ecclesia Nepesina, quibus etiam complures adstipulantur Auctores.* Addit Florentinius, eumdem Eutychium fuisse sancti Ptolemæi Episcopi in *spiritualibus Vicarium Ferenti, & in locis adjacentibus.* Ferrarius autem in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem 24. Augusti, ex monumentis Ecclesiæ Nepesinæ, & Sutrinæ, & ex Le-

ctionibus Nepetæ in eorum Festo recitari solitis, hæc de S. Ptolemæo, ejusque sociis habet: *Ptolemæus patria Antiochenus, S. Petri Apostoli Discipulus, cum eo, Apollinare, Hermagora, & aliis Romam venit. Ubi Romanum Nepesinum Philosophum ad Christi Fidem perduxit, in eaque erudivit. Uterque postea ab Apostolo Episcopus ordinatus est, Ptolemæus quidem Pentapolis in Tuscia (quæ Urbs Nepetæ, & Sutrio finitima erat:) Romanus vero Nepetæ. Quum vero prædicatione, & mirandis signis multos ad Christi cognitionem adducerent, ab Idolorum cultoribus apud Aspasium Comitem, & Tribunum a Claudio Imperatore Tusciæ præfectum accusati, comprehenduntur: ac in vincula conjecti, varie cruciantur; qui Idolorum, quibus sacra facere jubebantur, impietatem detestantes, in Christi confessione fortes perseverabant. Primum itaque verberibus cæsi, in equuleo suspensi, graviter torquentur: deinde ignibus exuruntur: demum quum nullis tormentis ad impietatem adigi possent, capitis abscissione una cum aliis triginta Christianis martyrium compleverunt, IX. Kalend. Septembris. Quorum Corpora Savinilla Deo amabilis femina aromatibus condita, in crypta sepelienda curavit.* Hæc Ferrarius, a Baronio quidem dissentiens, qui in Annalibus ad ann. 46. Ptolemæum Episcopum primum Nepesinum facit, quum is Episcopus Pentapolis fuerit, ut acta illius habent: nullam tamen Eutychii Presbyteri mentionem faciens. Nardinus tamen in libello Italico, cui titulus (1): *Cathedra Episcopalis S. Ptolemæi Nepete, seu Pentapolis Nepesina*, Baronium cum Ferrario conciliat, affirmans, S. Ptolemæum & Nepesinum & Pentapolitanum Episcopum fuisse. Nepete enim Pentapo-

(1) *La Catedra Vescovale di S. Tolomeo in Nepi. La Pentapoli Nepesina*. Romæ apud Angelum Bernabò anno 1677.

tapoleos caput erat, hoc eſt, una & primaria ex quinque illis civitatibus, quibus Ptolemæus præfuit. Quum autem idem Nardinns Acta ejuſdem ſancti Epiſcopi recitat, quæ in membrana vetere apud Patres Prædicatores Conventus S. Ptolemæi juxta Nepeſinam urbem deſcripta ſervabantur, nihil de Eutychio Presbytero profert. Sed neque proferre potuit: quippe qui in iis Actis ne nominatur quidem: quemadmodum etiam conſtat ex hiſtoria ejuſdem S. Ptolemæi Epiſcopi, quam B. Hiacynthus de Nobilibus Italice edidit.

III. *Acta tamen S. Ptolemæi de S. Eutychio ſilent, & viceverſa.*

III. Florentinii igitur, & Andreuccii, Eutychium Ferentinum Presbyterum ſancto Ptolemæo Tuſciæ ſuburbicariæ Apoſtolo æqualem aſſerentium, conjectura vel ex hoc uno capite corruit, quod antiqua omnia monumenta, in quibus res geſtæ, & martyrium S. Ptolemæi deſcribitur, de Eutychio ſileant. Silent viciſſim de Ptolemæo Acta ipſius Eutychii, in quibus Ferentinus Epiſcopus laudatur non quidem Ptolemæus, ſed Dionyſius. Quod argumento eſt, tam Florentinium, quam Andreuccium, viros cæteroquin omnigena doctrina inſignes, conjecturis ſuis plus juſto indulſiſſe. Tantum enim abeſt, ut ex utriuſque actis, vel ſeorſim ſumtis, vel ad invicem comparatis, colligatur, B. Eutychium Presbyterum fuiſſe Sancti Ptolemæi Epiſcopi in Ferentina civitate Vicarium; ut potius conſtet, alium, tempore ejuſdem Eutychii, Ferentinis Epiſcopum præfuiſſe, nempe Dionyſium.

IV. *Ex eo, quod S. Eutychius in Tuſciæ partibus Chriſtianam fidem diſſeminaſſe dicitur, non recte conficitur, ipſū*

IV. Sed audiamus, quibus rationibus adductus cl. Andreuccius, hæc tria in ſe receperit lectoribus demonſtranda. *Primum*, ait *pag.*48., *adducor, ut pronunciem, S. Eutychium fuiſſe unum è ſociis S. Ptolemæi Epiſcopi ejuſque Vicarium in ſpiritualibus in Ferentino tractu, ex eo, quod hinc quidem certum eſt, S. Petrum miſiſſe S. Ptolemæum ad prædicandum in Tuſcia ſnburbicaria Evangelium una cum aliis ſociis, eumque Pentapoleos Epi-*

S. Ptolemæi socium & Vicarium Ferenti fuisse.

Episcopum constituisse, ex Baronio ad ann. 69., & Florentinio de Tusciæ prima Christianitate cap. 3., & Ferrario ad diem 24. Augusti: inde vero convenit inter Scriptores, S. Eutychium, aut primum fuisse, aut unum ex primis Evangelii in ea Provincia propagatoribus, ex Florentinio ibidem. Præterea eumdem Ferenti pastoralem animarum curam exercuisse, quum ad ipsum confugerent quotquot ad Christianam Fidem adducebantur; ex Actis Sanctorum. Quamobrem rationi apprime consentaneum est pronunciare, illum fuisse unum e sociis S. Ptolemæi, ejusque Vicarium: alioquin cogeremur dicere, ab anno Christi 69., quo S. Ptolemæus obiit, usque ad annum 270., aut 300. neminem exstitisse, qui Evangelicam lucem in proxima Romæ Provincia, & sub oculis Romani Pontificis Christi Vicarii, iis populis intulerit.

Hoc primum est cl. Andreuccii argumentum. Quis vero non videt, quam debile sit, ac inane? Damus enim libenter viro docto, Sanctum Eutychium in eo Tusciæ tractu curam animarum gessisse: id enim Acta testantur. Sed quid inde? nonne in ipsis actis diserte exprimitur nomen *Dionysii Ferentini Episcopi*, sub quo Eutychius tamquam Vicarius curam eorum populorum gerebat? Cur ergo ad S. Ptolemæum recurramus, cujus nulla ibi mentio? Cur deseramus Dionysium Episcopum, qui conceptis verbis nominatur? At, inquit, nisi Eutychius ad tempora S. Ptolemæi Tusciæ suburbicariæ Apostoli detrudatur, neminem habebimus, qui Evangelicam ibidem doctrinam ab anno *69.* ad annum 270. aut *300.* disseminaverit. Ego vero contrarium potius inde sequi pronuncio. Si enim Eutychius Ptolemæi socius dicatur, proferat nobis vir clarissimus, quinam sint, quos ille ad Christianam fidem adduxit, aut adductos confirmavit? Non alii certe sunt, quam ii, qui in actis SS. Valentini & Hilarii, Gratiliani & Felicissimæ, & S. Secun-

cundi memorantur: qui quum longe post tempora S. Ptolemæi floruerint, ut ex actis ipsorum liquet, hinc etiam manifestum redditur, eumdem Eutychium ab ætate S. Ptolemæi quam longissime distare. Quis autem tanto temporis spatio, quantum ab anno 69. ad annum 270. vel 300. effluxit, Evangelium in ea Tusciæ parte annunciaverit, nisi Eutychius una cum Ptolemæo id præstiterit? Is, nimirum, absque Eutychio Presbytero, *Ptolemæus* fuit, illuc a S. Petro missus, & *Romanus* Ptolemæi ipsius discipulus, ambo Episcopi, de quibus quum in antiquis Martyrologiis, & in prioribus Romani Martyrologii editionibus, anni videlicet 1583. & 1584. nulla fieret mentio, in eo tandem, quod Venetiis anno 1674. prodiit, nomina eorum recitantur ad diem 24. Augusti hoc elogio: *Nepete S. Ptolemæi Episcopi discipuli B. Petri, a quo missus in Tusciam ad prædicandum Evangelium, in eadem civitate gloriosus Christi Martyr occubuit. Ibidem S. Romani ejusdem civitatis Episcopi, qui quum esset S. Ptolemæi discipulus, fuit etiam in passione socius*. Fuere etiam cum Ptolemæo & Romano Episcopis complures alii Presbyteri, Diaconi, & Clerici, qui in Actis ipsius Ptolemæi laudantur in hæc verba: *Comes, atque Tribunus in suam civitatem Pentapolim misit milites, & tenuit noctu B. Ptolemæum Episcopum, quem invenerunt cum Beato Romano in oratione cum aliis Presbyteris & Diaconibus, similiter & Clericis, in vigiliis & hymnis Deo gloriam præbebant, & erant omnes in Christo credentes numero triginta duo*. Et in pervetusto Tuscanellæ Martyrologio, cujus Nardinus pag. 18. meminit: *Tempore Claudii Imperatoris ab Aspasio Tribuno civitatis Pentapolis tenti sunt, & durissime cæsi: qui ducti sunt foras muros civitatis ad portam, quæ dicitur Triumphalis, & ibi decollati sunt. Quorum Corpora sepulta sunt in crypta non longe a Pentapoli, ubi alii triginta di-*

sci-

ſcipuli, qui paſſi ſunt ante per triginta duos dies, ſepulti ſunt, ubi florent orationes eorum uſque in hodiernam diem. En pro uno Eutychio, habemus *triginta Presbyteros, Diaconos & Clericos*, qui una cum *Epiſcopis Ptolemæo & Romano* in diſſeminanda Chriſti fide laborabant. In tanta vero Scriptorum primi, ſecundi, ac tertii ſeculi penuria, non eſt mirum, cur poſt illos Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, & Clericos, quos ſupra laudavi, nulla ad noſtram ætatem manarit Epiſcoporum, aut Presbyterorum illius regionis memoria, ſive Nepeſinorum, ſive Ferentinorum. Unde Ughellus Ital. ſac. tom. 1. de Nepeſinis Epiſcopis ſermonem inſtituens, poſtquam a S. Ptolemæo & Romano fundamenta Chriſtianæ Religionis ibi jacta deſcripſit, ſubjungit de inſequentibus ſeculis: *Itaque in Nepeſina civitate Chriſtianam fidem fundatam, adeo multi deinde Tyranni eam convellere conati ſunt uſque fere ad Conſtantini tempora, ut poſt Romanum primum Nepeſinorum Epiſcopum, vix ulla memoria occurrat, qua illorum Epiſcoporum ſeries cohærere poſſe videatur: quum tamen conſtet, illam, ut Sanctæ Sedi viciniorem, haud fuiſſe ſuo Paſtore deſtitutam*. Romanum vocat Ughellus *primum Nepeſinorum Epiſcopum*, eo quod Ptolemæus vulgo dicitur *Pentapolis* Epiſcopus, perinde ac ſi duæ urbes ſint, Nepete, ac Pentapolis. Cæterum Pentapolim fuiſſe in Etruria ex quinque civitatibus coaleſcentem, cujus Nepete erat caput, diffuſe, & erudite narrat Nicolaus Nardinus in libro de Nepeſina Epiſcopali Cathedra S. Ptolemæi. Ughellus vero hic quidem Ptolemæum Pentapolis præſulatum geſſiſſe affirmat, exiſtimans Pentapolim civitatem fuiſſe Nepetæ vicinam; at ubi de Florentinis agit Epiſcopis, Ptolemæum Nepete, Romulum Florentiæ, ambos S. Petri diſcipulos, fixiſſe ſuam Sedem ſcribit. Quamquam autem poſt primos Nepetæ, Ferenti, aliarumque Tuſciæ urbium

bium Episcopos, vix ulla aliorum, ut ait Ughellus, memoria occurrat usque ad Constantini Magni tempora; certum tamen est, & Episcopos ibidem aliquos, quorum nomina ignoramus, exstitisse, & Christianam Religionem, quantumvis eam convellere Tyranni conarentur, non fuisse penitus deletam. Id ostendunt Acta Martyrum, qui sub Diocletiano, & Maximiano passi sunt. Andreuccius ipse admittit, & notis illustrat Acta SS. Valentini Presbyteri, & Hilarii Diaconi, Martyrum Viterbiensium, quos ait sub Galerio Maximiano obiisse. Exstabant ergo in iis regionibus Presbyteri, & Diaconi, præter Eutychium nostrum, tum temporibus S. Ptolemæi, tum grassante in Christianos persecutione sub Diocletiano, & Maximiano: adeoque nulla apparet necessitas detrudendi Eutychium ad tempora S. Ptolemæi, eo, ut vult cl. Andreuccius, consilio, ut tuto affirmari liceat, ipsum Evangelicæ doctrinæ tunc temporis fuisse propagatorem.

V. Alterum cl. Andreuccii argumentum pag. 84. est hujusmodi. *Adducor, ut pronunciem, sanctum Eutychium fuisse patria Antiochenum, non autem civem Ferentinum, ut contendit Pennatius, Nardinus, & alii: eo quod rationes, quas ipsi proferunt, ut illum Ferentinum civem faciant, nullius ponderis sint: nituntur enim tantummodo recentiorum quorumdam auctoritati, eique, quod Angelus ad Sanctum dixisse fertur:* Revertere ad civitatem propriam Ferentinam: *hoc nimirum effatum certo patriam denotare nequit, quum etiam ea civitas propria dicatur, quæ curæ ipsius pastorali, & prædicationi destinata erat, quemadmodum Capharnaum appellata fuit propria Christi civitas, eo quod ipse ibi prædicavit, & miracula patravit. E contrario rationes, quas adducit Florentinius, ut eumdem Eutychium ostendat Antiochenum fuisse, aut altem Orientalem, valde urgent: is enim demonstrat,*

V. *Esto, S. Eutychius patria fuerit Syrus Antiochenus, non inde sequitur, ipsum temporibus S. Ptolemæi claruisse*

primos sancti Petri Discipulos, quos ille, quum primum in Italiam venit, tamquam Magistros, Pastores, Metropolitas, & Episcopos in Provincias misit, fuisse Orientales: cujusmodi fuit & S. Ptolemæus Pentapoleos in Tuscia Episcopus, una cum sociis, quos inter sanctum Eutychium collocamus. Consonat & ipsum Eutychii nomen, e Græco sermone derivatum: etsi enim idem nomen ab Occidentalibus quoque usurpatum reperitur, frequentius tamen, ac præcipuè in primo Christi seculo ab Orientalibus adhibebatur. Ptolemæum, primum Tusciæ suburbicariæ Episcopum, ac Petri Apostolorum Principis Discipulum, Syrum Antiochenum fuisse, testantur cæteri Scriptores. Instar omnium esto Ughellus tom. 1. Ital. sacr. de Episcopis Nepesinis: *ut non procul a Roma est Civitas Nepesina, sic in primis civitatibus fuit, quæ lucem hausere Evangelii, prædicante S. Ptolemæo Antiocheno, S. Petri Apostoli Alumno, quem secum Romam adduxerat*. Syrum fuisse & sanctum *Eutychium* Presbyterum, cujus corpus Suriani colitur, præter cl. Andreuccium, & Florentinium, affirmat Tullius Cima in vita ejusdem Eutychii, quam Italice edidit anno 1658. dum Gubernatoris Suriani officio fungeretur. Quamquam autem Pennatius pag. 362. *sine fundamento, & auctoritate adstrui affirmat, S. Eutychium e Syria genus ducere*, quin etiam oppositum dicat ex actis ipsius constare; nostri tamen instituti non est hic definire, quænam sententia sit alteri præferenda. Verum, ut demus etiam cl. Andreuccio, Florentinio, & Tullio Cimæ, *Syrum, Antiochenum, & Orientalem fuisse S. Eutychium*, idque ipsum ex ipsius Græco nomine colligi; num Syri, & Orientales tempore S. Petri Apostoli tantummodo in Italiam venerunt, ibique Diaconi, Presbyteri, Episcopi dignitatem gessere? Nonne complures alii insequutis seculis Umbriam, Tusciam, Romam ipsam, Syri Antistites, Monachi, Presbyteri, Cle-

Clerici exornarunt? Ut Romanos Pontifices præteream, Anicetum, Gregorium Tertium, Sisinium, Sergium, & alios bene multos Syros, & Orientales: ut etiam missos faciam Laurentium Farfensis Monasterii conditorem, postea Sabinensem Episcopum; Isaacum Eremi Spoletinæ decus, innumeros alios in Umbria clarissimos viros, qui e Syria, Jacobillo teste, venerant: Valentinum Presbyterum, & Hilarium Diaconum, Viterbienses Martyres, profero, qui omnibus fatentibus, nemine contradicente, sub Diocletiano, & Maximiano passi sunt; & Orientales tamen fuere, non Viterbienses. Acta Sanctorum apud cl. Andreuccium pag.44. *Interea tenentur Beati Martyres Valentinus Presbyter, & Hilarius Diaconus: & perducti a quibusdam in Castello Viterbiensium ante Proconsulem: Quibus dixit Proconsul: Ex qua patria estis? Responderunt sancti Martyres, & dixerunt: Primum quidem fatemur nos Christianos esse, & Christi Discipulos. Respondit Proconsul, & dixit: De quo genere estis? Responderunt sancti Martyres, & dixerunt: Quantum ad genus, de partibus Orientis advenimus.* Alia Acta eorumdem apud eumdem pag. 49., & pag.51. *Quibus dixit Proconsul. Ex qua Patria estis? Responderunt Martyres, & dixerunt. Primum quidem fatemur nos Christianos esse; de partibus vero Orientis advenimus.* Hymnus de iisdem, qui in Bibliotheca Vallicellana servatur, apud eumdem pag.47.

Venerunt in Italiam
Ab Oriente gemini,
Perambulantes Tusciam,
Castrum intrant Viterbii.

Lectiones eorumdem a S. Rituum Congregatione die 19. Augusti 1662. probatæ, quæ in Ecclesia Cathedrali Viterbiensi recitantur, apud Pennatium pag.337. *Valentinus Sacerdos, & Hilarius Diaconus claris orti Parentibus, sed fide clariores, desiderio*

Christianæ Religionis ubique locorum propagandæ succensi, ab Oriente in Italiam profecti, variisque Provinciis divini verbi prædicatione illustratis, tandem Viterbium appulerunt, Maximiano Augusto Imperatore. Si igitur Valentinus, & Hilarius ab Oriente quidem in Italiam venerunt, non tamen S. Petri Apostoli temporibus, nec sub Claudio Imperatore, aut Nerone; sed sub Diocletiano, & Maximiano coronati sunt; pari ratione dicemus, ex eo quod S. Eutychius Syrus Antiochenus, aut saltem ex alia Orientis Regione fuerit, non sequi, ipsum S. Petro, & Ptolemæo Pentapoleos Episcopo æqualem fuisse: sed potius eodem illum tempore, eademque in Provincia claruisse, ac SS. Valentinus & Hilarius, Orientales & ipsi: quemadmodum illorum Acta testantur, in quibus diserta fit S. Eutychii Presbyteri mentio.

Accedit ratio ab eodem cl. Andreuccio petita. Hic enim in titulo eruditi operis, quod de Sanctis Valentino, & Hilario composuit, illos vocat *Primos Viterbii Apostolos*, in hæc verba: *Notizie Istoriche de' gloriosi santi Valentino Prete, & Ilario Diacono, Martiri Viterbesi, e primi Apostoli di quella Città*. Idque confirmat Eminentissimi Baronii ad annum Christi 303. num. 221. hoc elogio: *Illustratur & Tuscia compluribus sanctis Martyribus. Exantlarunt inter alios insigne pro Christo certamen Valentinus Presbyter, & Hilarius Diaconus, Martyres Viterbienses*. Si igitur Martyres illi, Valentinus, & Hilarius, qui certe sub Diocletiano, & Maximiano coronati sunt, dicuntur tamen a cl. Audreuccio *primi Viterbiensium Apostoli*, tametsi ab ætate S. Ptolemæi Episcopi, qui vere fuit primus Tusciæ suburbicariæ Apostolus, annis plus minus 235. distabant: cur nos cogimur, sanctum Eutychium a temporibus S. Dionysii Episcopi Ferentini, qui sub Diocletiano, & Maximiano vivebat, ad tempora S. Ptolemæi Episcopi, & Neronis imperato-

ris

ris trahere, ex hoc argumento, quod ille Christianam fidem in Tusciæ ejusdem suburbicariæ partibus prædicabat, amplificabatque?

VI. Tertium argumentum, quo cl. Andreuccius utitur, ut S. Eutychium ostendat non SS. Valentino, & Hilario, sed sancto Ptolemæo Episcopo synchronum fuisse. *Demum*, inquit pag. 85. *inde adducor, ut asseram S. Eutychium sub Claudio Nerone martyrium subiisse, quia quum in omnibus antiquis monumentis legatur, ipsum sub Claudio lauream martyrii adeptum, id factum ad primum quidem Claudium referri nequit, ut supra notavi, quum ille nullam in Christianos persecutionem excitaverit, neque edictum ullum adversus illos promulgaverit: sed neque de secundo Claudio id intelligi potest: nam iste quatuor annos in Imperio non egit, quos ipsum egisse oportet, ut vera sint Acta Sancti Gratiliani & Felicissimæ. Rationi ergo consentaneum videtur, ut Baronii sententiam amplectamur ad annum Christi 69. num. 44. ubi docet, in aliquibus Sanctorum Martyrum Actis, in quibus* sub Claudio *legitur, id de* Nerone Claudio *intelligendum esse.* Quod vero Acta habent sub Claudio subiisse martyrium (*verba sunt maximi hujus Cardinalis:*) de Nerone Claudio intelligendum est secundum ea, quæ superius in Claudio dicta sunt. *De hoc Imperatore verum est, edicta ipsum, legesque adversus Christianos promulgasse, idque decimo Imperii sui anno; post mortem autem Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, eadem edicta renovasse anno decimo quarto, quum, ut scribit Orosius, per omnes Provincias ab eo mandatum est, Christianos vexari. Quamobrem Acta Sanctorum Gratiliani & Felicissimæ, in quibus legitur* Imperii anno quarto, *emendanda sunt*, Imperii anno decimoquarto; *nisi ipsorum Auctor annos numerare ab eo tempore cœperit, quo persecutio excitata est: illud enim tempus in quartum annum incidit, quo novum edictum*

VI.
An emendanda sint Acta SS. Valentini & Hilarii, & Secundi in quibus S. Eutychius sub Diocletiano & Maximiano vixisse dicitur; an potius Acta ipsius Eutychii, & SS. Gratiliani & Felicissimæ, in quibus Claudii Imperatoris nomen legitur.

ctum in omnes Provincias exiit, & Sancti Ptolemæus & socii quamplurimi martyrium subierunt. Hactenus cl. Andreuccius, qui pag. 86. ita concludit: *Stat ergo; Sanctum Eutychium, qui Suriani colitur, cum nostris Sanctis* (Valentino, & Hilario) *nequaquam convixisse: ubi autem in ipsorum Actis legitur, quæstionarios ad pedes S. Eutychii Presbyteri sese advolvisse, hanc historiam aut additam fuisse ex populari vulgi traditione, aut ex Actis S. Secundi descriptam, hucque translatam; aut demum id intelligendum esse de altero Eutychio, qui tunc temporis in vicinis locis vixerit*. Eadem est Ferrarii suspicio circa Claudii Imperatoris nomen, sub quo passus Eutychius dicitur. Quum enim ille in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem 15. Maji Epitomen vitæ S. Eutychii Presbyteri & Martyris Suriani in Faliscis retulisset, eumque ex monumentis Ecclesiæ Hortanæ, & Suriani, *Ferentii Christianis clam in persecutione sub Claudio Imperatore ministrasse* scripsisset, hanc adnotationem adjicit. *Sancti Eutitii Presbyteri in Actis SS. Martyrum Valentini & Hilarii fit mentio; sed dum illi sub Diocletiano & Maximiano, hic vero sub Claudio passi referuntur, error corrigendus venit; nisi forte Eutitius ibi memoratus ab hoc, de quo agimus, diversus sit*. Huic sententiæ proxime accedit Bollandus tom. 1. Februarii pag. 458., ubi dubium movet, an idem sit Eutychius Martyr Romæ, de quo Martyrologium Romanum die 4. Februarii, qui & in Actis S. Secundi 1. Junii. *At nusquam*, inquit, *in Martyrologio Romano illius Beati Eutychii mentio* (de quo in Actis S. Secundi:) *fortassis in tractum Spoletinum concesserat, ut latitaret, & hinc Romam vel raptus est ad tormenta; vel ultro reversus, Martyrii ansam invenit sub Maximiano, sub quo & S. Secundus coronatus dicitur*.

VII. Pa-

VII. Parum nostra interest, an Eutychii duo fuerint, alter sub Claudio martyrium passus, quem Surianenses colunt, alter sub Diocletiano, & Maximiano, qui in Actis SS. Valentini, & Hilarii laudatur, aut quem Acta S. Secundi Martyris memorant; an vero unus idemque Eutychius, qui sive sub Claudio, sive sub Diocletiano, & Maximiano coronatus est, cujus proinde sacras Reliquias Surianenses venerantur, quique tum in Actis S. Secundi, tum SS. Valentini, & Hilarii, Ferentinam Ecclesiam Presbyter administrabat. Quiquid enim sit hac de re, id unum nobis propositum erat, ut demonstraremus, quod & supra, ut opinamur, satis demonstratum est, nimirum sanctum Eutychium Martyrem, qui Suriani colitur, & Presbyterum Ferentinum fuisse, & a Sancto Gregorio Papa laudatum. Sive igitur ille sub uno, sive sub altero Imperatore ob Christi fidem Martyr occubuerit, nostra nihil interest: quemadmodum etiam an unus tantummodo exstiterit Ferentinus Presbyter & Martyr Eutychius noster; an præter nostrum alius quoque Eutychius Junior. Florentinius, Ferrarius, Bollandus & Andreuccius, qui duos ponunt Eutychios, ut supra vidimus, sive unum tantummodo Eutychium agnoscunt Sancti Ptolemæi Episcopi æqualem, affirmantes, in Actis SS. Valentini & Hilarii & Secundi nomen Eutychii perperam obrepsisse; hi, inquam, clarissimi Scriptores a nostra sententia ne latum quidem, ut ajunt, unguem recedunt, dum expressis verbis docent, Eutychium Ferentinum Presbyterum, & Martyrem, quem ipsi sub Claudio passum affirmant, eumdem esse, cujus Corpus in Ecclesia Surianensi requiescit, quemque S. Gregorius Papa in libro Dialogorum testatur, Redempto Ferentinorum Episcopo apparuisse.

VII. Sive unus, sive duo fuerint Eutychii, stat tamen, in hoc omnes convenire, Eutychiũ nostrum, qui Suriani colitur, & Ferentinum Presbyterum fuisse, & eundem, cujus S. Gregorius Papa meminit.

VIII. Verum, ne videamur hac responsione propositam difficultatem potius declinare, quam solvere, ad

VIII. Tria Actorum Martyrum genera sunt distinguenda.

ad argumentum illud regredimur, quod ex *Claudii* Imperatoris nomine in Actis S. Eutychii & SS. Gratiliani, & Felicissimæ posito, petitum est. Tria Actorum Martyrum genera distinguit Andreuccius. Quædam enim sunt, ut ait pag. *66.*, Acta pura, sincera, & Proconsularia, nimirum aut a publicis Notariis tunc scripta, quum causa Sanctorum Martyrum coram Judice, seu Proconsule discuteretur: quæ proinde in publicis Archivis inter instrumenta publica recondebantur: aut ab iis Christianis descripta, quos Martyrio Sanctorum interesse contigerat, quique rerum gestarum testes oculati fuerant; aut demum ab illis fidelibus Scriptoribus olim literarum monumentis mandata, qui reddita Ecclesiæ pace, historiam Martyrum describendam susceperant, ex eorum testimonio, qui persecutionis tempore vixerant, seu ex publica voce & fama, quæ apud omnes, tamquam res nota, vigebat. Hujusmodi Acta indubiam fidem faciunt. Secundi generis acta sunt ea, quæ primis proxime accedunt: descripta videlicet sequiori ævo e vetustis Tabulariis Ecclesiarum, seu ex communi majorum traditione: in quibus proinde obrepere solent allucinationes nonnullæ quoad locum, tempus, personas, & varias rei gestæ circumstantias; non tamen ea sunt prorsus rejicienda, sed pluris, minorisve facienda, pro majore, aut minore illorum vetustate, & quo magis, aut minus inter se, vel cum aliis receptis historiis sunt conformia. Tertium denique Actorum genus est, quæ sunt ab imperitis, aut malis amanuensibus descripta, qui amanuenses ut Sanctis, quorum res gestas describunt, majorem fidem concilient, aut omnino detrahant, quemadmodum Hæretici nonnulli præstitere, dolo malo, seu imperitia, antiquis actis multa addunt, quæ cum rei gestæ veritate prorsus cohærere nequeunt, aut ea ex cerebro confingunt, quæ numquam exstitere. Vide Ruinart.

nart. in Præfat. ad Acta genuina Martyrum, & Bollandum tom.1. Januarii in Præfat. cap.3. §.1. His accedit, quod unicuique etiam trium generum Actorum quæ supra exposui, accidere solent variæ mutationes ex diversis ipsorum exscriptionibus, aut editionibus, ob quas non raro ab Autographo plurimum recedunt, dum amanuenses, seu editores, quædam addere, nonnulla etiam detrahere student, aut dictione in gratiam Lectoris expolita reformare, quemadmodum inter Græcos Simeon Metaphrastes fecit, & inter Latinos Surius, & alii: idipsum videre est in Actis SS. Valentini & Hilarii, quæ Nardinus edidit, itemque in Actis S. Eutychii a Ferrario & Pennatio promulgatis.

IX. At vero, quæ sunt ex pervetustis Ecclesiarum Viterbiensis, Hortanæ, Surianensis, & Vallicellanæ Bibliothecæ Codicibus, ac præsertim membraneis descripta eorumdem Sanctorum Acta, non quidem æqualem Proconsularibus fidem merentur, sed iis saltem non minorem, quæ secundi generis Acta appellantur; non enim sunt recentia, seu a recentioribus composita, ut nonnulli sentiunt; verum antiquitatem redolent, eamque antiquitatem, quæ mille annos superare videtur. Nam si de Sancti Eutychii Actis loquamur, historia illa perantiqua, quæ ante annum Christi 1496. teste Henrico Bruno Episcopo Hortano, de Sancto Eutychio legebatur, debet omnino ad ætatem S. Leonis IV., aut S. Gregorii Magni referri, quum uterque disertam Sepulcri, & Ecclesiæ ejusdem Martyris mentionem fecerit: aut certe ejusdem ætatis censeri, cujus sunt Acta SS. Valentini & Hilarii, Gratiliani & Felicissimæ, quum in utrisque S. Eutychius Presbyter & Martyr laudetur. Hæc autem Acta ante annum Christi millesimum nota erant; nam hi Sancti non modo ante annum millesimum

IX. *Antiquitas Actorum S. Eutychii, SS. Gratiliani, & Felicissimæ, & SS. Valentini, & Hilarii.*

noti erant, & colebantur a Fidelibus; sed pars etiam historiæ, quæ de ipsis narratur, legitur apud Usuardum, qui anno Christi octingentesimo vivebat, aut in ejus Auctariis, quæ P. Sollerius ex vetustissimis Codicibus manuscriptis edidit. Eadem insuper Acta decreto Sac. Congregationis Rituum sunt probata, & in Ecclesiis Viterbiensi, Hortana, & Surianensi ad Canonicas Matutinas horas recitantur. Etsi enim probatio hujusmodi non id efficit, ut falsum quid subesse non possit in historia Sanctorum; magnam tamen Actis auctoritatem proculdubio conciliat, quemadmodum scribit P. Janningus in Apolog. prælimin. ad Acta Sanctorum tom. I. Junii in hæc verba: *Fateor ex hujusmodi approbatione historiis auctoritatem accedere, neque ullus id negaverit Catholicus: at vero accedere talem, ut falsum subesse non possit historiis sub approbatione tali legi permissis, aut ut viri eruditi prohibeantur circa illas disputare, ab iisque ratione bona nixi dissentire, ne ipsa quidem Sacra Congregatio prætendit.*

X. *In Actis S. Eutychii, & SS. Gratiliani, & Felicissimæ, nomen Claudii pro Maximiano obrepsit.*

X. Quæ quum ita sint, videamus, qua bona ratione nixi Florentinius, Ferrarius, & cl. Andreuccius, duos statuere velint Eutychios. In Actis, inquiunt, S. Eutychii, & SS. Gratiliani, & Felicissimæ nomen *Claudii* Imperatoris exprimitur, sub quo hi Sancti coronati dicuntur. At vero in Actis SS. Valentini & Hilarii, in quibus B. Eutychius laudatur, sub Diocletiano, & Maximiano martyrium eorum contigisse narratur. Duo itaque Eutychii statuendi sunt, alter sub Claudio, alter passus sub Diocletiano & Maximiano; aut certe hujus secundi nomen in Acta SS. Valentini & Hilarii perperam est invectum.

Ego vero ita sentio cum Ferrario, ubi ait, *error corrigendus venit*, non duos Eutychios exstitisse, sed

ſed unum eundemque, qui in Actis ipſius, & SS. Gratiliani & Feliciſſimæ ſub Claudio, & in Actis SS. Valentini & Hilarii, atque S. Secundi, ſub Diocletiano & Maximiano paſſus refertur: mendum enim in prioribus Actis obrepſiſſe, in quibus nomen Claudii pro Maximiano invectum eſt; non in poſterioribus, quæ Eutychii geſta repræſentant.

Et illud quidem, quod in Actis S. Eutychii, & SS. Gratiliani & Feliciſſimæ dicitur, hos nimirum Sanctos ſub *Claudio Imperatore* coronatos, emendandum eſſe, atque Claudii loco nomen *Maximiani Imperatoris* ſubſtituendum, ex eo conſtat, quia in ipſis Actis *anno quarto Imperii Claudii edictum perhibetur fuiſſe propoſitum, ut ubicumque fuiſſent Chriſtiani inventi, ſine auditione punirentur*; quod eſt mendum manifeſtum: neque enim ſecundus Claudius *annos quatuor* in Imperio egit, aut perſecutionem in Chriſtianos excitavit; neque *primus Claudius* ullam itidem Chriſtianis moleſtiam intulit; neque demum id de *Nerone Claudio* intelligi poteſt, qui non quarto, ſed decimo Imperii anno edicta adverſus Chriſtianos promulgavit. Ergo quum in iis Actis manifeſtus ſit error, ſaltem in numero annorum Imperii Claudii, quumque nomen ipſum Imperatoris, etiam in ſententia Florentinii, Ferrarii & Andreuccii eſſet emendandum, & pro Claudio, *Nero Claudius* ſcribendum, proque anno quarto, ſubſtituendum, *anno decimo*, ſeu *anno Imperii decimoquarto*; non video, cur non ſit potius hic Actorum S. Eutychii, & SS. Gratiliani & Feliciſſimæ locus corrigendus ex Actis SS. Valentini & Hilarii, in quibus nulla oritur circa nomen & annum Imperatoris difficultas; quàm ſine ullo veterum Scriptorum fundamento, ſed ex ſola conjectura, alter quidam Eutychius fingendus; utque hic inter mortales locum habere poſſit, nomen, & annus Imperatoris ex cerebro

 acco-

accomodandus. Vi hujus rationis adductus cl. Henschenius pro Claudio quidem *Aurelianum*, aut potius *Maximianum* reponendum censet; duos autem Eutychios pro uno substituendos, prorsus negat. Sic enim in notis ad Acta S. Eutychii die 15. Maji pag. 458. scribit. *Habemus integra Acta ex Mss. pluribus, etiam ejus loci, ubi sunt corpora: & ubique SS. Gratilianus, & Felicissima dicuntur passi sub* Claudio Imper. quarto anno Imperii ejus: *quod de primo hujus nominis Imperatore intellectum, notaret annum Christianæ æræ 44. Sed hic persecutionem Christianis non indixit, solumque Judæos ab Urbe expulit. Sin autem intelligas nominis istius secundum, habebis quidem persecutionis alicujus tempus cæptæ anno 269. sed annum Imperii quartum nullum invenies: quia Tyrannus iste non multo plus, quam biennio regnavit, peste extinctus anno 270., & frater ejus, atque successor declaratus Quintillus decimo septimo post die occisus est a militibus, evectusque* Aurelianus, *qui anno 271. novis Edictis publicatis persecutionem resuscitavit, ejus morte rursus consopitam anno 275. Potuit Claudii istius, & Aureliani persecutio gemina in unam fuisse confusa, eoque deceptus Auctor Actorum,* Claudium *scripsisse, ubi scribendus fuerat* Aurelianus. *Interim* Claudium *etiam nominat Legenda S. Eutitii, quam ex suorum Majorum Chirographis nobis sub fide publica transmisit latinam Theseus Pennatius a Suriano, publicus Dei gratia, & Apostolica auctoritate Notarius, in Archivo Romanæ Curiæ descriptus, & Fori Episcopalis dictæ Terræ Suriani in Civilibus, & Criminalibus Cancellarius: Additur autem memoria* SS. Valentini Presbyteri, & Hilarii Diaconi, *tamquam simul cum* SS. Eutitio, Felicissima, & Gratiliano *coronatorum. Atqui istorum passio, danda die 3. Novembris, pro* Claudio *nominat* Maximianum, *qui nonnisi decimo sexto post* Clau-

Claudii *mortem anno regnare cœpit. Si ergo his patientibus in vivis adhuc erat Eutitius, idem non alius, de quo agimus, non solum non est is sub Claudio, sed neque sub Aureliano coronatus. Notavit hoc Doctor Tullius Cima, is, qui anno* 1645. *Suriani pro Duce Altæmpsio Gubernator prædictam Legendam ex Latina fecit Italicam, & deinde anno* 1658. *Roncilione in Patria sua curavit excudendam; ubi Latinum contextum fere reddens verbotenus, loco Claudii substituit* Diocletianum, & Maximianum *Imperatores: quod profecto longe convenientius est, quam duos pro uno Eutitios substituere, quorum alter in Actis SS. Gratiliani, & Felicissimæ, alter in passione SS. Valentini, & Hilarii commemoretur.* Eumdem errorem animadverterunt, emendaruntque Canonici Collegiatæ S. Sixti Viterbiensis, qui pro *Claudio* legunt *Diocletianum* in additionibus ad Martyrologium Romanum, de quo Pennatius pag. 350. in hæc verba: *Corpus S. Felicissimæ fuisse inventum Viterbii, habent notæ marginales manuscriptæ charactere antiquo in Martyrologio Romano typis Basianis Romæ anno* 1583. *penes me. Ad diem* 2. *Maji pag.* 99. *ita exaratur:* Viterbii in Ecclesia S. Sixti inventio corporis S. Felicissimæ Virginis & Martyris. *Ad diem vero* 12. *Augusti pag.* 190. Faleriæ in Tuscia natale S. Felicissimæ Virginis & Martyris, quæ sub Diocletiano Imperatore passa est, cujus corpus in Ecclesia S. Sixti Viterbiensi requiescit. *Quod dicatur passa sub Diocletiano, intellige vivente, sed non imperante, sub quo, ut habet Baronius, & alii Martyres eodem tempore dicuntur passi. Ad diem autem* 2. *Septemb. pag.* 210. Viterbii translatio corporis B. Felicissimæ Virginis & Martyris, cujus sacrum corpus una cum beatis ossibus Episcoporum Magni Tranensis, & Bonifacii Ferentini in Ecclesia S. Sixti reconditum est. *Hæ notæ in Choro a Canonicis hujus Ec-*

Ecclesiæ Collegiatæ S. Sixti ad præsens quoque recitantur. *Claudio* censet subrogandum *Diocletiani* nomen in Actis S. Eutychii: hunc enim Sanctis Valentino & Hilario æqualem fuisse. Quamquam autem utraque Acta novitatis arguit tom. 5. hist. Eccl. art. 50. & not. 58., unum tamen Eutychium agnoscit, qui & SS. Valentino, atque Hilario synchronus, & is est, quem S. Gregorius Papa scribit, Redempto Ferentino Episcopo apparuisse.

XI. *Antiquitas Actorum SS. Valentini, & Hilarii, major, quam Actorum S. Secundi.*

XI. Quod autem circa Acta SS. Valentini, & Hilarii suspicatur cl. Andreuccius, historiam illam de Quæstionariis a S. Eutychio ad Christi Fidem conversis, aut ex populari vulgi traditione additam fuisse, aut ex Actis S. Secundi descriptam; peroptarem, ut causam aliquam afferret, cur depravata censeat hac in parte Sanctorum Valentini & Hilarii Acta, quæ ipse affirmat pag. 43. se vidisse descripta in Codice membraneo Bibliothecæ Vallicellanæ circa seculum Christi undecimum exarato; sincera autem, vel saltem majoris pretii facienda putet Acta S. Secundi, quæ majorem certe antiquitatem non præferunt: quin potius multo recentiora sunt, sive spectemus ipsam Sanctorum historiam, quæ ad nos in manuscriptis Codicibus devenit; sive eorumdem in antiquis Martyrologiis, & apud veteres Scriptores memoriam. Nam quoad Sanctorum Martyrum historiam in voluminibus descriptam, certum est, Acta SS. Valentini & Hilarii in Vallicellanis Codicibus exarata, longo intervallo antiquitate superare historiam S. Secundi, quæ ab Henschenio ex Codicibus Eugubino & Bodecensi ad diem 1. Junii edita est: quibus de Actis idem Henschenius pag. 52. §. 6. ita censet: *Dantur a nobis primo loco Acta martyrii* (Sancti Secundi Amerini Martyris) *non qualia optaremus ex scriptis Proconsularibus, vel saltem insigni antiquitate venerandis,*

dis ; sed qualia seculo decimo potuerunt fuisse composita , ex majorum traditione ; ex qua nomen Judicis , locumque & modum martyrii , credimus haberi potuisse ; cætera , scilicet sermones inter Sanctum & Proconsulem habitos , accipimus ut ab Auctore ex verosimili composita . De ætate Mss. Eugubini & Bodecensis nihil habuit dicere Henschenius . Auctorem tantummodo Actorum illorum existimat decimi seculi esse potuisse. Ubi Acta SS. Valentini , & Hilarii ante annum Christi millesimum fuisse composita, argumento est , quod Codex Vallicellanus , qui ea nobis exhibet, ad eum annum proxime accedit , nec tamen ille autographus censetur , sed debet ex alio majoris vetustatis Codice fuisse exscriptus . Alia sunt præterea documenta , quæ antiquitatem Actorum SS. Valentini , & Hilarii præ Actis S. Secundi certissime commendant , ab ipso Andreuccio cap.1. enumerata . Nam Florus Monachus Ordinis sancti Benedicti in Monasterio S. Trudonis Leodiensis Diœcesis , qui anno Christi septingentesimo vivebat, in suis ad Bedæ Martyrologium additamentis , ad diem 3. Novembris disertam eorum martyrum mentionem facit , his verbis : *Passio SS. Valentini , & Hilarii martyrum* . In Auctariis ad Usuardum , qui post Florum septuagesimo circiter anno suum composuit Martyrologium , res gestæ eorumdem Sanctorum hoc elogio referuntur : *Castro Viterbiensi Valentini Presbyteri , & Hilarii Diaconi , qui sub Maximiano diu laniati , in Tyberim mersi , sed ab Angelo erepti , capitis abscissione martyrium compleverunt* . Quæ auctaria , nisi ab eodem Usuardo , saltem paulo post ejus ætatem composita censet Sollerius . Seculo nono memoratur ipsorum Martyrum Ecclesia in Constitutione S. Leonis IV. anno Christi 852. data , quæ ab Innocentio III. refertur apud Balutium tom.2. Epist.142. his verbis : *In Vico Pa-*

Patenzano cum suis Ecclesiis SS. Hilarii, & Valentini. Eodem seculo nono corpora eorum a Gregorio Papa IV. circa annum Christi 829. translata narrantur in Chronico Farfensi apud cl. Muratorium tom. 2. par. 2. Scriptorum rerum Italicarum pag. 387. in hæc verba: *Tertius decimus huic Monasterio in regimine sancto præfuit Abbas Sichardus, longe, lateque exemplum boni certaminis cunctis per omnia ostendens. Nam Oratorium hoc, quod cernimus, in honore Domini Salvatoris, adjunctum huic Ecclesiæ Sanctæ Mariæ ipse construxit; ubi corpora Sanctorum Valentini & Hilarii Martyrum de Tusciæ partibus translata, cum corpore Sancti Alexandri Sanctæ Felicitatis filii, quod de Roma adduxerat concedente Gregorio IV. Sedis Apostolicæ Præsule, honorifice sepelivit*. Quæ ferme descripsit Mabillonius Annal. Benedict. tom. 2. ad annum 829. pag. 527. Demum in Codice Casinensi, qui a Cajetano Abbate tom. 6. manuscriptorum descriptus in Bibliotheca Romani Sapientiæ Archigymnasii servatur, ad calcem vitæ eorumdem Martyrum, de translatione Corporum ipsorum hæc leguntur: *Supradictorum vero Martyrum corpora Valentini, & Hilarii in eodem loco, in quo sepulta sunt, usque ad tempora Gregorii IV. Apostolicæ Sedis Præsulis requieverunt; inde cum debito honore levans ea Riccardus* (in Chron. Farfensi Sichardus) *Abbas Venerabilis monasterii Sanctæ Dei Genitricis siti in Sabinis, collocavit in Oratorium, quod ipse construxit, & conjunxit Aulæ ejusdem Genitricis, & semper Virginis Mariæ, pariter cum corpore Sancti Alexandri filii Sanctæ Felicitatis, quod videlicet corpus Sancti Alexandri, concedente præfato Domino Papa Gregorio, de Roma adduxerat*. Quæ omnia palam faciunt, Acta SS. Valentini, & Hilarii, quæ ad nos manarunt, non esse recentia, sed perquam vetusta. Nihil horum affirmare

re possumus de Actis S. Secundi, cujus memoria neque apud Florum occurrit, neque in Martyrologio Usuardi; sed primum, quod sciam, fit mentio translationis ipsius a Lucio Papa III. celebratæ a suburbana tunc Tuscanellæ in Etruria S. Petri Ecclesia ad urbanam S. Mariæ Majoris anno 1173. Deinde anno 1285. tempore Alexandri Papæ IV. e Territorio Eugubino, ubi corpus ejus, Jacobillo teste, postquam martyrium subiisset, requieverat, ad oppidum Pergulæ in Ecclesiam Eremitarum S. Augustini translatum narratur. Demum anno 1301. sub Bonifacio IX. idem Corpus ibidem recognitum: ut docet authenticum rei gestæ Instrumentum, quod profert Henschenius tom. 1. Junii pagin. 56. Ergo antiquiora habemus pro Actis SS. Valentini, & Hilarii documenta, quibus conficitur, auctorem Actorum S. Secundi potius ex illis descripsisse ea, quæ utrobique in eamdem fere sententiam leguntur.

XII. *Concluditur, unum fuisse S. Eutychium nostrum, sive Acta SS. Valentini, & Hilarii probentur, sive Acta S. Secundi.*

XII. Age nunc, descripserit Auctor Actorum SS. Valentini, & Hilarii ex Actis S. Secundi ea, quæ de S. Eutychio Presbytero narrat; quid aliud transcriberet, quam quod in exemplo antiquiore, ac proinde genuino, legebat? Constat itaque, S. Eutychium Diocletiano, & Maximiano imperantibus claruisse, sive ejus historia in Actis S. Secundi, sive in Actis SS. Valentini, & Hilarii, pro genuino, ac legitimo veteris Scriptoris fœtu habeatur: sub iis enim Imperatoribus, tam S. Secundus, quam SS. Valentinus & Hilarius coronati sunt, quemadmodum Acta ipsorum testantur. Quum autem in utrisque Actis certa quidem, & indubia nota temporis habeatur, in Actis vero Sancti Eutychii & Sanctorum Gratiliani & Felicissimæ, ea nota satis incerta & vaga sit; consentaneum rationi omnino videtur, hanc potius ex illa emendare, quam duos Eutychios statuere, quorum neque me-

moria, neque cultus in iis locis apparet, in quibus claruisse perhibentur: ac proinde concludendum nobis est cum cl. Henschenio: *Loco Claudii substituendos esse Diocletianum & Maximianum Imperatores: quod profecto longe convenientius est, quam duos pro uno Eutitios substituere, quorum alter in Actis Sanctorum Gratiliani & Felicissimæ, alter in passione Sanctorum Valentini & Hilarii commemoretur.*



APPENDIX
AD ACTA
SS. BONIFACII ET REDEMPTI
EPISCOPORUM
ET
S. EUTYCHII
PRESBYTERI ET MARTYRIS.

I.

De S. Bonifacio Episcopo Ferentino.

De Bonifacio Ferentinæ Civitatis Episcopo.

Ex S. Gregorii Papæ Dialogis lib. 1. cap. 9.



REGORIUS. Vis tibi aliquid de Tusciæ partibus narrem, ut cognoscas quales in ea viri fuerint, & omnipotentis Dei notitiæ quantum propinqui? *Petrus*. Volo, atque omnimodo exposco. Fuit vir vitæ venerabilis Bonifacius nomine, qui in ea Civitate, quæ Ferentis dicitur, Episcopatum officio tenuit, & moribus implevit. Hujus multa miracula is, qui adhuc superest Gaudentius Presbyter narrat. Qui nutritus in ejus obsequio, tanto valet de illo quæque veracius dicere,

cere, quanto eis hunc contigit interesse. Hujus Ecclesiæ gravis valde paupertas inerat, quæ bonis mentibus esse solet custos humilitatis, nihilque aliud ad omne stipendium, nisi unam tantummodo vineam habebat; quæ quodam die ita grandine irruente vastata est, ut in ea paucis in vitibus vix parvi, rarique racemi remanerent. Quam quum Dei prædictus vir reverentissimus Bonifacius Episcopus fuisset ingressus, magnas omnipotenti Deo gratias retulit, quia in ipsa sua adhuc inopia sese angustiari cognovit. Sed quum jam tempus exigeret, ut ipsi quoque racemi, qui remanserant, maturescere potuissent, Custodem vineæ ex more posuit, eamque solerti vigilantia servari præcepit. Quadam vero die mandavit Constantio Presbytero Nepoti suo, ut cuncta vini vascula in Episcopio, omniaque dolia, ita ut ante consueverat, pice superfusa præpararet. Quod quum nepos illius Presbyter audivisset, valde admiratus est, quod quasi insana præciperet, ut vini vascula præparari faceret, qui vinum minime haberet: nec tamen præsumpsit inquirere, cur talia juberet, sed jussis obtemperans omnia ex more præparavit. Tunc vir Dei vineam ingressus, racemos collegit, ad calcatorium detulit, omnesque exinde egredi præcepit, solusque ibi cum uno parvulo puerulo remansit, quem in eodem calcatorio deposuit, & calcare ipsos paucissimos racemos fecit. Quumque ex iisdem racemis parum aliquid vini deflueret, cœpit hoc vir Dei suis manibus in parvo vase suscipere, & per cuncta dolia, omniaque vasa, quæ parata fuerant, pro benedictione dividere: ut ex eodem vino omnia vascula vix infusa viderentur. Quum vero ex liquore vini parum aliquid in vasis omnibus misisset, vocato protinus Presbytero, jussit pauperes adesse. Tunc cœpit vinum in calcatorio crescere, ita ut omnia, quæ allata fuerant, pauperum vascula impleret. Quibus quum se idonee satis-

ſatisfeciſſe conſpiceret, ex calcatorio juſſit puerum descendere, apothecam clauſit, atque impreſſo ſigillo proprio munitam reliquit, moxque ad Eccleſiam rediit. Die vero tertia prædictum Conſtantium Presbyterum vocavit, & oratione facta apothecam aperuit, & vaſa, in quibus tenuiſſimum liquorem infuderat, ubertim vinum fundentia invenit, ita ut pavimentum omne excreſcentia vina invaderent, ſi adhuc Epiſcopus tardius intraſſet. Tunc terribiliter Presbytero præcepit, ne, quouſque ipſe in corpore viveret, hoc miraculum cuiquam indicaret; pertimeſcens videlicet; ne in virtute facti favore humano pulſatus, inde intus inaneſceret, unde foris hominibus magnus appareret; exemplum etiam Magiſtri ſequens, qui ut nos viam humilitatis inſtrueret, de ſemetipſo diſcipulis præcepit, dicens, ut ea quæ vidiſſent, nemini dicerent, quouſque filius hominis a mortuis reſurgeret.

I I.

De S. Redempto Epiſcopo Ferentino, deque Sancto Eutychio Martyre.

De viſione Redempti Ferentinæ Civitatis Epiſcopi.

Ex S. Gregorii Papæ Dialogis lib.3: cap.38.

G*Regor.* Hac de re nihil, Petre, mireris: nam Redemptum Ferentinæ civitatis Epiſcopum vitæ venerabilis virum, qui ante hos fere annos ſeptem ex hoc mundo migravit, tua dilectio cognitum habuit. Hic, ſicut mihi adhuc in Monaſterio poſito valde familiariter jungebatur, hoc, quod Joannis junioris prædeceſſoris mei tempore de mundi

di fine cognoverat, ficut longe, lateque claruerat; a me requifitus mihi ipfe narrabat. Ajebat namque, quia quadam die dum Parochias fuas ex more circuiret, pervenit ad Ecclefiam Beati Eutychii Martyris. Advefperafcente autem die ftratum fieri fibi juxta fepulcrum Martyris voluit, atque ibi poft laborem quievit: quum nocte media, ut afferebat, nec dormiebat, nec perfecte vigilare poterat, fed depreffus, ut folet, fomno, gravabatur quodam pondere vigilans animus: atque ante eum idem Beatus Martyr Eutychius adftitit dicens: Redempte vigilas? cui refpondit: vigilo. Qui ait: Finis venit univerfæ carnis, finis venit univerfæ carnis, finis venit univerfæ carnis. Poft quam trinam vocem vifio Martyris, quæ mentis ejus oculis apparebat, evanuit. Tunc vir Dei furrexit, feque in orationis lamentum dedit. Mox enim illa terribilia in cœlo figna fecuta funt, ut haftæ, atque acies igneæ ab Aquilonis parte viderentur. Mox effera Longobardorum gens de vagina fuæ habitationis educta, in noftram cervicem graffata eft, atque humanum genus, quod in hac terra præ nimia multitudine quafi fpiffæ fegetis more furrexerat, fuccifum aruit. Nam depopulatæ urbes, everfa caftra, concrematæ Ecclefiæ, deftructa funt Monafteria virorum ac feminarum, defolata ab hominibus prædia, atque ab omni cultore deftituta, in folitudine vacat terra, nullus hanc poffeffor inhabitat, occupaverunt beftiæ loca, quæ prius multitudo hominum tenebat. Et quid in aliis mundi partibus agatur, ignoro. Nam in hac terra, in qua vivimus, finem fuum mundus jam non nuntiat, fed oftendit.

Acta

III.

Acta S. Eutychii Presbyteri & Martyris.

Ex Codicibus Mss. Hortano, Alemanniano, Cenciano, & Pamphiliano. Apud Pennatium pag. 304.

I. TEmporibus Claudii Augusti Cæsaris persecutio magna in Christianos orta est, ut omnes compellerentur ad sacrificandum Idolis, thuraque diis incenderent; & qui sacrificare nollent, diversa tormenta experirentur, & postea capite punirentur. Eodem tempore B. Eutychius Presbyter reversus fuerat in civitatem Ferentinam de Christi negotio, quod ei revelaverat Angelus: dum post paucos dies dixit Angelus Domini ad B. Eutychium: Surge & vade ad civitatem Falaritanam ad Sanctos Martyres Gratilianum & Felicissimam, ubi corpora eorum requiescunt in sarcophago novo, & celebra in eo loco vigilias cum hymnis, atque divina mysteria Corporis & Sanguinis D. N. Jesu Christi, & tunc revertere in civitatem propriam Ferentinam: quia post paucos dies debes accipere coronam martyrii, & gaudebis cum omnibus Sanctis Martyribus, qui cum Christo sunt regnaturi in perpetuum.

II. Tunc B. Eutychius quasi de somno evigilans, festinus perrexit ad Sanctos Martyres prædictos, ubi sepulta sunt corpora eorum, & fecit ibi divina Mysteria, & celebravit Missam. Et venientes Parentes Gratiliani, miserunt se ad pedes B. Eutychii dicentes. Gratias agimus tibi, Pater Sancte; quia per tuam prædicationem lucratus est D. N. Jesus Christus filium nostrum Gratilianum, & nos cum ipso simul. Tunc B. Eutychius monuit eos de fide & doctrina D. N. Jesu

ſu Chriſti, & eadem hora diſceſſit, & reverſus eſt ad propriam civitatem Ferentinam.

III. Tentus eſt B. Eutychius ab Apparitoribus Maximi Tribuni, & offerentes eum militibus, dixerunt. Ecce Homo, qui contempſit juſſa Principum, & eorum Decreta pro nihilo computat: Deoſque noſtros blasphemat & in ſuis ædibus confregit. Igitur quum hæc nuncia audiviſſent, milites perduxerunt eum ad Maximum, & omnia ei per ordinem narraverunt.

IV. Tunc dixit ei Maximus Tribunus. Tu ne es Eutychius ſeductor Magorum, qui deſtruis juſſa Domini Principis Claudii, & Deos gubernatores Reipublicæ pro nihilo æſtimas? Reſpondit B. Eutychius. *Computavi, & pro nihilo computo Idola vana, ſurda, & muta; quæ oculos habent & non vident; aures habent, & non audiunt; os habent & non loquuntur; manus habent & non palpant; & pedes habent & non moventur. Vos hæc colitis figmentum hominum, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui omnia fecit, & dignatus eſt plaſmare nos de terræ limo, deſiviſtis, & ignoraſtis eum. Nam omnia juſſa, & Principes veſtri tales ſunt, quaſi utres vento repleti. Imperia & juſſa a Domino meo Jeſu Chriſto ſunt in charitate repleta: ipſe enim eſt, qui univerſa regit, atque gubernat. Nam ipſemet Dominus dicit: Per me Reges regnant (Prov.8. 15.) & Tyranni obtinent teream.* Audiens hæc Maximus Tribunus juſſit ſtatim eum catenatum in cuſtodia publica mitti, & præcepit, ut nullus introiret ad eum.

V. Altera autem die juſſit Maximus impiiſſimus in Prætorio Tribunal præparari: & præcepit ante ſe adduci omne genus tormentorum, dixitque militibus. Afferte mihi Eutychium de cuſtodia. Qui dum catenatus adduceretur ante Tribunul Judicis, inventus eſt ibi Dionyſius Epiſcopus, qui præerat huic Civitati. Hic

Hic, ut cognovit, quod comprehensus esset B. Eutychius Presbyter, obtulit se Maximo Tribuno, dicens. Pietati tuæ suggero, Tribune, servum Dei, qui pro Te, & pro Republica orat, ne trucides. Tunc jussit Maximus Dionysium Episcopum fustibus cædi, & extra civitatem emitti.

VI. Igitut Maximus Tribunus interrogare cœpit B. Eutychium blandis sermonibus, cogitans mentem sanctam a bono proposito revocare, dicens B. Eutychio. Cognovisti quæ sacratissimus Princeps noster Claudius per universa Regna constituit? Respondit B. Eutychius Presbyter: *Vere cognovi, & scio: jussa illius sunt, sicut unius ex sceleratis hominibus, qui Creatorem suum non cognoscunt, nec adorant: sed adorant Deos ligneos, lapideos, marmoreos, gypseos, & æneos: quorum imagines argenteæ, vel aureæ sunt facturæ manuum hominum: quæ si custoditæ non sunt a custodibus, fures & evertunt, & rapiunt: nec adjuvare possunt stultissimos homines, qui eos adorant, de quibus Psalmista dicit: Similes illis fiant, qui faciunt ea: & omnes, qui confidunt in eis.* (Psal. 113.8.) Dixit itaque B. Eutychius Maximo Tribuno. *Maxime, inter Imaginem, & Factorem, quis est fortior, & melior?* Dixit ei Maximus. *Ergo non debemus eos colere, quia manibus hominum sunt facti?* Dixit ei B. Eutychius. *Jam dixi illos homines fuisse miserrimos, qui tempore vitæ eorum male vixerunt in immunditiis, delectationibus, & concupiscentiis mundi.*

VII. Dixit ei Maximus: *Ergo & tu non adoras Deos nostros, & jussa Principis contemnis? Blasphemasti eos, quos nos adoramus & publice confundis.* Dixit ei B. Eutychius. *Dominus noster Jesus Christus nobis præcipit, dicens: dum steteritis ante Reges, & Præsides, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini: non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris ve-*

vestri, qui loquitur in vobis. (*Matth.* 10. 18.) Dicit ei Maximus: *Et vos, qui pro ejus amore variis tormentis traditis corpora vestra, qualem remunerationem habebitis?* Respondit B. Eutychius, & dixit. *Illam, quam ipse promisit, dicens: Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam* (*Matth.* 10. 39.) *in æternum. Et iterum Dominus dicit in Evangelio: qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* (*Matth.* 19. 29.) Dixit ei Maximus Tribunus. *Est præter istam alia vita?* Dicit Beatus Eutychius. *Est vita alia, quæ numquam finem habet, quam repromisit Deus diligentibus se.*

VIII. Tunc dixit Maximus Tribunus ad B. Eutychium. *Pro salute Domini nostri invictissimi Principis Claudii, si non sacrificaveris Diis immortalibus, diversis tormentis te faciam interire: si autem sacrificaveris, intimabo doctrinam tuam Claudio, & multiplicaberis divitiis & facultatibus.* Dixit ei S. Eutychius. *Sacrificent eis, qui desperaverunt de animabus suis: nam propitiabitur mihi Dominus meus Jesus Christus, pro quo pati non timeo. Sciatis autem, qui in isto judicio adstatis, quia nisi ab eorum cultura cessaveritis, in æterno judicio damnabimini. Ubi ignis non exstinguetur, & vermis non morietur; ubi peccatores sine fine lugebunt; ubi diabolus est alligatus, atque innodatus in secula seculorum: ubi non ardent ligna, neque stipulæ, sed peccatorum animæ.* Ad hanc prædicationem multi crediderunt in Christo Domino.

IX. Tunc impiissimus Maximus jussit eum ante se fustibus cædi, dicens: *Deos, & Deas noli deridere, & injurias Judici noli temerario ore garrire, ne a cultura eorum populus discedat.* In ipsa hora jussit impiis-

piissimus Maximus levari in equuleo Sanctum Eutychium, & diu torqueri. B. Eutychius dum torqueretur, dicebat. *Domine Jesu Christe adjuva servum tuum*. Tunc jussit sacrilegus Maximus eum de equuleo deponi, & lapidibus os ejus contundi. Sanctus Eutychius gaudebat, & exultabat in Domino, & viriliter agebat.

X. Quumque vidisset Maximus, quod per tormenta vincere non posset sanctum Eutychium, jussit extra civitatem eum educi, non longe ab urbe, capite truncari. Ductus autem foras, ut decollaretur, dixit Spiculatoribus. *Paucas mihi inducias date, ut orem pro me ad Dominum meum Jesum Christum*. Tunc B.Eutychius projiciens se in terram, oculis flentibus dixit. *Deus Omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, accipe spiritum meum, & numera me inter tuos sanctos Martyres, quia tempus est, ut commendem terræ corpus meum. Precor te, Domine, ut omnes, qui nomen meum invocaverint, & ad Te conversi fuerint, habeant partem nobiscum in æterna secula: & in isto seculo de quacumque infirmitate, vel tribulatione digne clamaverint, petitiones suas impetrare mereantur, & nobis frui in futuro: quia tu es Deus manens, & regnans in secula seculorum. Amen*. Tunc Spiculator tenens gladium unico ictu percussit, & migravit ad Dominum Idibus Maji. Passio Sanctorum, qui simul coronati sunt, Eutychius Presbyter, Valentinus Presbyter, & Hilarius Diaconus, Gratilianus, & sancta Felicissima, & alii quos longum esset enarrare.

XI. Hæc audiens B.Dionysius Episcopus, ubi erat occulte propter persecutionem Paganorum, abjit noctu cum Clericis suis ad Corpus B. Eutychii, & levaverunt illud cum hymnis, & orationibus, & posuerunt in prædiolo suo, & in crypta sua, milliariis ab Urbe Ferentina plus minus quindecim, & jejunaverunt in eodem loco: & manserunt, atque vigilave-

runt aliquos dies, gratias agentes Deo, quia multa miracula ostendit Dominus. Cæci illuminantur, Dæmones effugantur, & infirmi sanantur, ubi florent etiam orationes, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

XII. Post multos annos pace data Ecclesiæ Dei, cœpit Religio Christianorum crescere, & augeri: & Ecclesiam non modicam ibi constructam ex parte parietibus adornarunt: ex parte Cryptæ amplissime perfodere, quasi specus, idest fossa sub terra, unde emanat aqua modica. De ipsa aqua, qui non sunt bene sani, bibunt, & per invocationem B. Eutychii saluti confestim restituuntur. In eadem vero Crypta intra Ecclesiam ad dexteram partem contra Orientem posuerunt corpus B. Eutychii Presbyteri, & aliorum corpora Sanctorum cum ipso simul: ut ita corpus ejus candidis marmoreis tabulis affixerunt, ut quasi arca hinc, atque illinc. In ipso loco multa miracula ostendit Dominus usque in præsentem diem. Et juxta hoc corpus S. Eutychii, ut diximus, alia crypta est, quæ tendit in longitudinem plus minusque quam triginta pedes, ubi corpora Sanctorum requiescunt: & quotidie inde modicæ aquæ guttatim currunt, quæ per intercessionem Sanctorum bibentibus auxilium præstant. In alia vero parte sinistra construxerunt altare B. Stephani Protomartyris atque Levitæ & aliorum Sanctorum. Et in gyrum altaris columnellæ marmoreæ & capitella foliata, quasi lilia, & insuper capita tabulæ marmoreæ, quasi arcus ex omni magnitudine construxerunt. Per cunctam Ecclesiam de loco in locum altaria construxerunt ad honorem Sanctorum, atque Sanctarum Virginum Dei, quæ regnant cum Domino in perpetuum. Gaudeamus omnes in Domino, fratres charissimi, in honorem B. Eutychii Presbyteri, & Martyris, cujus hodie festa celebrantur: qui mundum contempsit, & divitias vanas

vanas respuit: qui jussa Principum non timuit, & eorum supplicia pro nihilo computavit. Qui pro amore Dei certavit usque ad mortem, & multos ad fidem traxit: atque ad cœlestia regna migravit. Qui minas Judicum non timuit, & terrenam gloriam non quæsivit: pro Christi amore animam suam posuit, & gladio evaginato ictu percussus est, & migravit ad Dominum, cujus potestas permanet in secula seculorum. Amen.

I V.

Eadem Acta ex Codice Ms. Ecclesiæ Viterbiensis.

I. TEmporibus Claudii Augusti Cæsaris persecutio magna in Christianos orta est, ut omnes compellerentur ad sacrificandum Idolis, thura Diis incenderent, & qui sacrificare nollent, diversa in eos tormenta præmium experirentur, & postea capite punirentur. In eodem tempore B. Eutitius Presbyter reversus fuerat in civitatem Ferentinam de Christi negotio, quod ei revelaverat Angelus, dum post paucos dies dixit Angelus Domini ad B. Eutitium; surge, & vade ad civitatem Falaritanam, ad Sanctos Martyres Gratilianum & Felicissimam, ubi corpora eorum requiescunt in sarcophago novo, & celebra in eo loco vigilias cum hymnis, atque divina mysteria Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi: & tunc revertere ad civitatem propriam Ferentinam: quia post paucos dies debes accipere coronam, & gaudebis cum omnibus Sanctis Martyribus, qui cum Christo sunt regnaturi in perpetuum.

Apud Bollandianos tom. 3. Maji pag. 460.

Eutychius post visitata corpora SS. Gratiliani, & Felicissimæ.

II. Tunc

Et illius parentes in fide confirmatos,

II. Tunc B. Eutitius Presbyter, quasi de somno evigilans, festinus perrexit ad Sanctos Martyres, ubi sepulta sunt corpora eorum, & fecit ibi divina Mysteria. Et venientes parentes B. Gratiliani, miserunt se ad pedes B. Eutitii, dicentes. Gratias agimus tibi, Pater sancte, quia per tuam prædicationem lucratus est Dominus Deus noster Jesus Christus filium nostrum Gratilianum, & nos cum ipso insimul. Tunc B. Eutitius monuit eos de fide & doctrina Domini nostri Jesu Christi, & eadem hora discessit, & reversus est ad propriam civitatem Ferentinam. Tentus est B. Eutitius ab apparitoribus Maximi Tribuni, & offerentes eum militibus, dixerunt: Ecce homo, qui contempsit jussa Principum, & eorum decreta pro nihilo computat, deosque nostros blasphemat, & in suis ædibus confregit. Igitur cum audivissent milites, perduxerunt eum ad Maximum, & narraverunt omnia per ordinem.

Adductus ad Maximum Tribunum.

Arguit vanitatem idolorũ.

III. Tunc dixit ei Maximus Tribunus. Tu ne es Eutitius seductor Magorum? qui destruis jussa D. Claudii Principis, & Deos Gubernatores reipublicæ pro nihilo æstimas? Respondit B. Eutitius: computavi, & pro nihilo computo Idola vana, surda & muta, quæ oculos habent & non vident, aures habent & non audiunt; nares habent & non odorant; os habent & non loquuntur, manus & non palpant, pedes & non moventur. Vos colitis figmenta hominum, & Dominum meum Jesum Christum, qui omnia fecit, qui dignatus est plasmare nos de limo terræ, destruxistis, & ignoratis. Nam omnia jussa vestra & Principes vestri tales sunt, quasi uter vento repletus. Imperia & jussa a Domino meo Jesu Christo sunt, qui universa regit, atque gubernat. Nam ipse Dominus dicit: Per me Reges regnant, & tyranni obtinent terram. Audiens hæc Maximus Tribunus jussit eum catenatum in custodia publi-

ca mitti, & præcepit, ut nullus introiret ad eum.

Dionysio Ferentino Episcopo, fustigato & ejecto.

IV. Altera autem die justit Maximus impiissimus in prætorio tribunal præparari: & præcepit ante se adduci omne genus tormentorum. Ante tribunal Judicis inventus est Dionysius Episcopus; qui præerat huic civitati. Hic ut cognovit, quod comprehensus esset B. Eutitius Presbyter, obtulit se Maximo Tribuno dicens: Pietati tuæ suggere, sacratissime Tribune, servum Dei, qui orat pro te, & pro Republica, quare trucidas? Tunc jussit Maximus Dionysium Episcopum fustibus cædi, & foras civitatem emitti. Igitur Maximus Tribunus interrogare cœpit B. Eutitium blandis sermonibus, cogitans mentem sanctam a bono proposito revocare, dicens B. Eutitio: Cognovisti quid sacratissimus noster Princeps Claudius per universa regna constituit? Respondit B. Eutitius Presbyter: & vere cognovi, & scio: jussa illius sunt sicut unius ex sceleratis hominibus, qui Creatorem suum non cognoscunt & non adorant; scilicet adorant Deos ligneos & lapideos, marmoreos, gypseos, æneos, quorum imagines argenteæ, vel aureæ, sunt factura manuum hominum: quæ si custoditæ non sunt, fures eas evertunt & rapiunt, nec adjuvare possunt stultissimos homines, qui eos adorant: de quibus Psalmista dicit, *similes illis fiant, qui faciunt, & omnes qui confidunt in eis.*

In sua perseverat confessione.

V. Dixit itque B. Eutitius Maximo Tribuno: Maxime, inter imaginem & factorem ejus, quid est fortius, & quid est melius? Dixit ei Maximus: Ergo non debemus eos colere, quia manibus hominum sunt facti? Dixit ei B. Eutitius: jam dixi illos homines fuisse miserrimos, qui tempus vitæ eorum male vixerunt, immunditiis, delectationibus, & concupiscentiis mundi. Dixit ei Maximus: ergo tu non adoras Deos nostros, & jussa Principum contemnis? Blasphemasti eos, quos nos adoramus, & publice confun-

fundis? Dixit ei B. Eutitius: Dominus noster Jesus Christus nobis præcepit dicens: Dum steteritis ante Reges & Præsides, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Dicit ei Maximus: & vos, qui pro ejus amore tormentis variis traditis corpora vestra, qualem remunerationem habebitis? Respondit B. Eutitius & dixit: illud quod ipse promisit, dicens: qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam in æternum. Et iterum Dominus dicit in Evangelio: qui reliquerit patrem, aut matrem, aut filios, aut uxores, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

Et tormenta sibi intenta cõtemnit.

VI. Dixit ei Maximus Tribunus. Est præter istam alia vita? Dixit ad eum B. Eutitius: Est vita alia quæ nunquam finem habet, quam & promisit Dominus diligentibus se. Tunc dicit Maximus Tribunus ad B. Eutitium: Pro salute Domini nostri invictissimi Principis Claudii, si non sacrificaveris Diis immortalibus, diversis tormentis te faciam interire: si autem sacrificaveris, intimabo doctrinam tuam Claudio, & multiplicaberis divitiis & facultatibus. Dicit ei S. Eutitius: Sacrificent eis, qui desperaverunt de animabus suis: nam propitiabitur mihi Dominus meus Jesus Christus, pro quo pati non timeo. Sciatis autem qui in isto judicio adstatis, quia nisi a Deorum cultura cessaveritis, in æterno judicio damnabimini; ubi ignis non extinguetur, & vermis non morietur, ubi peccatores sine fine lugebunt, ubi diabolus est alligatus, atque innodatus, ubi peccatores cruciabuntur in secula seculorum, ubi non ardent ligna, neque stipula, sed peccatorum animæ. Ad hanc prædicationem multi crediderunt in Christo Domino. Tunc impiissimus Maximus jussit eum ante se fustibus cædi, di-

dicens; Deos, & Deas noli deridere, & injurias Judicibus noli temerario ore garrire, ut a cultura eorum populus discedat.

VII. In ipsa hora præcepit iniquissimus Maximus levari in equuleo S. Eutitium: & dum torqueretur B. Eutitius, dicebat: Domine Jesu Christe adjuva servum tuum. Tunc jussit sacrilegus Maximus, eum de equuleo deponi, & cum lapidibus os ejus contundi. S. Eutitius gaudebat, & exultabat in Domino viriliter agens. Cumque vidisset Maximus, quod per tormenta vincere non posset S. Eutitium, jussit adduci eum foras civitatem non longe ab urbe, & capite truncari. Ductus autem foras, ut decollarent eum, dixit spiculatoribus: Paucas mihi inducias date, ut orem pro me ad Dominum meum Jesum Christum. Tunc B. Eutitius projiciens se in terram, oculis flentibus dixit: Deus omnipotens Pater Domini nostri Jesu Christi, accipe spiritum meum, & numera me inter Sanctos Martyres, quia tempus est, ut condat terra corpus meum. Precor te, Domine, ut omnes, qui nomen meum invocaverint, & ad te conversi fuerint, habeant partem nobiscum in æterna secula; & in isto seculo de quacumque tribulatione digne ad te clamaverint, petitiones suas impetrare mereantur, & nobis frui in futuro, quia tu es Deus, manes, & regnas in secula seculorum. Amen. Tunc spiculator tenens gladium, uno ictu percussit, & migravit ad Dominum sub die Iduum Maji, hoc est die decimaquinta mensis Maji.

Post equuleum capite plexus.

Et mortuus die 15. Maji.

VIII. (Passio Sanctorum qui simul sunt coronati, Eutitius Presbyter, Valentinus Presbyter, Hilarius Diaconus, Gratilianus & Felicissima, & alii quos longum est narrare.) Hæc audiens B. Dionysius Episcopus, ubi erat occulte propter persecutionem Paganorum, abiit noctu cum Clericis suis ad corpus B. Eutitii, & levaverunt illud cum hymnis & orationibus, & po-

Sepelitur in suo prædiolo.

& posuerunt in prædiolo suo & crypta sua, milliaribus ab urbe Ferentina plus minus quindecim; & jejunaverunt in eo loco, & manserunt, & vigilaverunt aliquos dies, gratias agendo Domino, qui eodem loco multa mirabilia ostendit: cæci illuminantur, demones effugantur, & infirmi sanantur; ubi florent orationes nunc, & semper, & in secula seculorum.

Ecclesia super sepulcrum struitur.

IX. Post multos annos pace data Ecclesiæ Dei, cœpit religio Christianorum crescere & augeri, & Ecclesiam non modicam ibi constructam ex parte parietibus adornarunt, & ex parte cryptis amplissime perfoderunt, quasi specus, idest fossas sub terra, unde emanat aqua modica. De ipsa aqua, qui non sunt bene sani, bibunt, & per invocationem B. Eutitii saluti confestim restituuntur. In eadem vero crypta intra Ecclesiam, ad dexteram partem contra Orientem posuerunt corpus B. Eutitii Presbyteri, & aliorum corpora Sanctorum cum ipso insimul: & ita Corpus ejus candidis marmoreis tabulis affixerunt, ut quasi arca hinc, atque illinc videatur. In ipso loco multa mirabilia ostendit Dominus usque in præsentem diem. Et juxta hoc Corpus Eutitii, ut diximus, alia crypta est, quæ tendit in longitudinem plus, minusque, quam triginta pedes, ubi corpora Sanctorum in sarcophago requiescunt. Et quotidie inde modicæ aquæ guttatim currunt, quæ per intercessionem Sanctorum bibentibus auxilium præstant. In alia vero parte sinistra construxerunt Altare B. Stephani Protomartyris atque Levitæ, & aliorum Sanctorum, & in gyrum Altaris columellæ marmoreæ, & capitella foliata quasi lilia, & insuper capita tabulæ marmoreæ quasi arcus ex omni magnitudine construxerunt. Per cunctam Ecclesiam de loco in locum altaria construxerunt, ad honorem Sanctorum atque Sanctarum Virginum Dei, quæ regnant cum Domino in perpetuum.

X. Gaudeamus omnes in Domino, Fratres chariſſimi, in honorem B. Eutitii Presbyteri & Martyris, cujus hodie feſta celebrantur: qui mundum contempſit, & divitias vanas reſpuit: qui juſſa Principum non timuit, eorum ſupplicia pro nihilo computavit; qui pro amore Dei certavit uſque ad mortem, & multos ad fidem traxit, atque ad cœleſtia regna perduxit: qui minas Judicum non timuit & terrenam gloriam non quæſivit; pro Chriſti amore animam ſuam poſuit, & gladio evaginato ictu percuſſus eſt, & migravit ad Dominum, cujus poteſtas permanet in ſecula ſeculorum. Amen. *Feſto annuo colitur.*

V.

Inſtrumentum Inventionis & Recognitionis Corporis S. Eutychii Mart. anno 1496.

Apud Bollandianos Tomo 3. Maji pag. 461.

Corpus S. Eutychii inter rudera Eccleſiæ reſtaurandæ.

I. IN nomine Domini. Amen. Cum populus, & univerſitas terræ Suriani civitatis Ortanæ noſtræ Diœceſis, tam ex relatione majorum ſuorum, quam etiam ex vetuſta & antiquata conſuetudine, ac etiam ex compluribus miraculis in compluribus perſonis factis & conceſſis a devotiſſimo S. Eutitio, quem Eccleſia canonizavit, eum pro peculiari Sancto & ſingulari Protectore apud divinam clementiam colere, ac devota mente & animi affectu maxime venerari conſueverint; venerabilem Eccleſiam, in eorum territorio extra muros Suriani ſituatam, ſub nomine dicti Sancti, collapſam tamen vetuſtate, cupientes debitis honoribus reſarcire, & juxta eorum facultates ædificiis exornare, liberantes & ex-

solventes se ab omni menda & gravamine conscientiæ; ad nos Henricum Brunum Episcopum Civitatis Ortanæ & Castellanæ accesserunt, petentes dari sibi facultatem, præfatam Ecclesiam debitis exornare ædificiis, ut ceremonias, devotiones & eorum vota decentius persolvere possent. Cumque obtenta dicta licentia & facultate, complures ex præfato populo, & universitate peculiari devotione ad præfatam venerabilem Ecclesiam accesserint; & illam evacuantes, quia ruinis repleta erat, effodiendo & evacuando partem præfatæ Ecclesiæ, in qua & antiquiores, & moderni homines dictæ terræ Suriani, & etiam circumstantes oppidani, eorum vota & ceremonias persolvebant præfato Sancto, arcam marmoream invenerint, seu repererint, in qua reliquiæ & ossa corrosa repertæ sint. Cumque etiam Sacerdotes & litteratæ personæ dictæ terræ redditi certiores de inventione dictæ arcæ, seu sepulcri, ex tabulis marmoreis confecti, ad præfatam venerabilem Ecclesiam cum historia dicti Sancti accesserint, quæ singulis annis in festo dicti Sancti Sacerdotibus in Matutinis & aliis Horis canonicis legebatur, ac cognoscentes ex historia, & ex arcæ seu sepulcri compositione & signis, illa fore ossa & venerabiles reliquias dicti Sancti, maxima cum devotione, ac quibus poterant ceremoniis præfatas reliquias venerati sint. Sed quia potuissent dictus populus, & universitas subjici reprehensioni & emendationi nostræ, qui pastoralem curam de eorum animabus gerimus; per Reverendissimum D. Cardinalem de Ursinis, Sanctissimum D. N. Alexandrum VI. Romanum Pontificem consuli fecerunt, ut servatis solemnitatibus, & diligenti indagine & perquisitione habita super præfatis venerabilibus reliquiis, talis observetur modus, ut eo omnis mentis macula & defectus in venerandis Reliquiis abstergeretur.

In arca marmorea quum invenissent Surianenses.

Alexander VI. ab iis rogatus.

II. Hinc

II. Hinc est quod nos Henricus Episcopus prædictus, & S. D. N. Papæ & Sacri Collegii Secretarius, & in hac parte per literas ejusdem Sanctissimi Domini Nostri in forma Brevis nobis directas, & per providos Viros Petrum Pennacem, Cichum Ferracuti, Mag. Joannem Lombardum, & Sebastianum Jannotti, Officiales dictæ communitatis præsentatas, Commissarius, cujus quidem Brevis tenor sequitur, & est talis. Alexander Papa VI. Venerabilis frater, salutem & apostolicam benedictionem. Exponi nobis fecerunt communitas & homines terræ nostræ Suriani, tuæ Dioecesis, quod ipsi olim repererunt in quodam pilo marmoreo apud Altare Ecclesiæ S. Eutitii sito, plures & diversas reliquias, quas licet ipsius Sancti fore arbitrentur, tamen illas publice ostendere, ac pro ipsius Sancti reliquiis affirmare non audent. Nos igitur eorum in hac parte supplicationibus inclinati, ac de præmissis certam notitiam non habentes, fraternitati tuæ, de qua in his & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per præsentes committimus & mandamus, ut ad dictam Ecclesiam te personaliter conferas, & de præmissis, an illæ sint veræ Reliquiæ ipsius Sancti, diligenter inquiras; & si ita repereris, dictas reliquias, infra, vel post Missarum solemnia, cum debita veneratione & reverentia, universo populo publices & ostendas, ac veras ipsius Sancti Reliquias esse declares, ac per universos Christifideles venerari decernas. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIV. Aprilis MCCCCXCVI. Pontificatus nostri anno IV.

Committit ejus inspectionem Episcopo Hortano.

III. Viso imprimis tenore dicti Brevis, ac potestate, & commissione nobis ipsius vigore per Apostolicam Sedem attributa, & commissa, volentes ad executionem procedere, ad dictam Ecclesiam

Hic locũ adit, omnibusque examinatis.

ſiam S. Eutitii Nos perſonaliter contulimus; & diligenter ipſam, & ſpecum, ſeu Cryptam noſtris oculis ſubjicientes, ac Hiſtoriam & Legendam dicti Sancti legi facientes; viſa & diligenter perſcrutata dicta Eccleſia & crypta, viſa & audita dicta Hiſtoria, ſive Legenda ipſius Sancti Eutitii: viſa arca, ſive ſarcophago ex tabulis marmoreis facto, & Reliquiis in eo exiſtentibus, & in eadem parte Eccleſiæ invento, prout ipſa narrat Hiſtoria: viſis dictis & atteſtationibus plurimorum teſtium fide dignorum, ſuper hujuſmodi negotio examinatorum: auditis plurimis miraculis ibidem per ſummum Creatorem & Redemptorem noſtrum, interceſſione dicti Sancti factis, & oſtenſis: viſis demum omnibus, ac ſingulis ſuper hujuſmodi negotio opportunis; Chriſti, glorioſiſſimæ ac beatæ Mariæ Virginis Matris, & S. Eutitii nominibus invocatis, ſedentes pro Tribunali in ipſa Eccleſia præfati Sancti, dicimus, pronunciamus, & declaramus, dictas Reliquias in ipſa Eccleſia, & dicto ſarcophago, ſive arca, fuiſſe & eſſe dicti S. Eutitii Presbyteri & Martyris, & eas devote venerari debere, prout decet Sanctorum Reliquias; ac præmiſſa omnia publice & palam prædicari, & populis annuntiari. De quibus omnibus & ſingulis rogamus fieri publicum Inſtrumèntum per Dominos Ogerium de Gazinis de Canellis Aquenſis Diœceſis, & Lucam Marzarium de Curtiſmilio Albenſis Diœceſis, Notarios publicos, & Sigilli noſtri impreſſione muniri in roboris firmitatem.

Declarat eſſe verum corpus S. Eutychii.

Per publicum inſtrumentum.

IV. Lata, data, & judicialiter facta fuit ſuprascripta pronuntiatio & declaratio per Rev. D. Epiſcopum, & Commiſſarium ſedentem ubi ſupra, ac deſcripta ex mandato ipſius Reverendiſſimi Domini Commiſſarii in dicta Eccleſia per me Lucam Marzarium Notarium publicum, præſentibus venerabilibus Dominis Presbyteris Joanne Franciſco Serpetri, Nicolao An-

Antonii Franchini, Petro Paſchalis Lipici, omnibus de loco Suriani, ac maxima parte populi Suriani, & aliis quampluribus viris & mulieribus ex oppidis circumſtantibus. Anno Dominicæ Nativitatis MCCCCXCVI. Indictione XIV. die XV. menſe Maji, Pontificatus S. D. N. Domini Alexandri divina providentia Papæ VI. anno IV. ✠ Ego Lucas Marzarius de Curtiſmilio Albenſis Diœceſis publicus Sacri Imperii auctoritate Notarius, præmiſſis omnibus & ſingulis una cum prænominatis teſtibus rogatus interfui, & rogatus pariter cum præfato ven. D. Ogerio Gazino Notario publico manu propria ſubſcripſi, hicque me ſubſcripſi cum appoſitione ſoliti mei ſigni Tabellionatus in fidem præmiſſorum.

V I.

Inſtrumentum Inventionis Reliquiarum S. Dionyſii Epiſcopi, & S. Eutychii Martyris.

HIC menſe Decembri deceſſerat Bartholomæus Nerius, Prior Eccleſiæ Parochialis S. Mariæ novæ: cujus cadaveri humando cum locus aptus requireretur, qui ſepulcrali lapide, elogium Defuncti habituro, poſſet inſterni; electus eſt unus quinque ſolum pedibus diſtans ab ara S. Carolo Borromæo dicata, altiorque communi Eccleſiæ pavimento duobus gradibus, per quos ad ipſum Sacellum aſcenditur. Ibi fodientes, invenerant arcam lapideam longam palmos duos & uncias ſeptem, inſcriptam litteris ferme Latinis, ſubinde inter ſe connexis, cum nonnullis Breviaturis ſatis ordinariis, quas

Apud Bollandianos Tom. 7. Maji pag. 775.

quas ſic extendo . HIC REQUIESCUNT CORPORA SANCTORUM , VIDELICET DIONYSII EPISCOPI , ET EUTICII PRESBYTERI . IMA TENET UNUM , SUMMA ALTERUM DEPOSITUM. Inventa arca , juſſu Vicarii incluſa decenti loco fuit , & ſigillis obſignata die V. Decembris, quoadusque veniret Epiſcopus Stephanus Brancaccius. Venit autem poſt annum die XXVIII. Decembris: & coram omnibus fere Canonicis arcam aperiens , reperit duo oſſa femorum , duo tibiarum , cum ſuis fibulis , ſed ruptis ; duos orbiculos genuum ; plures particulas digitorum , ad pedes pertinentium ; mandibulam inferiorem cum dentibus ; partem oſſis ſacri, cum fine ſpinæ dorſualis ; tres vertebras colli , varias particulas pedum , partem brachialem a cubito ad humerum , claviculam humeralem , coſtam unam, duos alios dentes ; aliaque fragmenta varia , terræ pulveribuſque permixta ; prout hæc omnia deſcripta ſunt in Archivo Cancellariæ Epiſcopalis . Et Inventio quidem inſcripta primæ parti libellorum , & Inſtrumentorum ſpectantium ad annum MDCLXXVI. folio I. ; Recognitio autem , ſecundæ eorumdem libellorum parti , ſpectantium ad annum ſequentem fol.314. ſub hoc titulo : Inventio corporum Sanctorum Dionyſii & Eutycii .

VII. *Acta*

VII.

Acta Martyrii SS. Valentini Presbyteri, & Hilarii Diaconi.

I. TEmporibus illis, quibus Maximianus Augustus regnavit, post recessum patris sui Diocletiani Augusti in Dalmatiam, ipso tempore interfecit sororem suam nomine Arthemiam Christianam filiam Diocletiani propter Religionem Christianorum; & misit Edictum per Provincias, & Civitates, ut ubicunque Christiani inventi fuissent, sine auditione punirentur. Multi autem Christiani erant absconditi in vicinia Viterbii, & præcipue Ministri Valentinus Presbyter, & Hilarius Diaconus sub domo cujusdam religiosæ feminæ Chistianissimæ nomine Eudoxiæ, quæ quotidianis diebus eis alimenta ministrabat.

Apud Pennatium in vita S. Eutychii pag. 324.
Item apud cl. Andreuecium ex Cod. casinensi pag. 61.

II. Unde cum in vigiliis, & hymnis Deo gratias redderent, factum est, ut Demetrius Proconsul, qui erat Viterbii, cœpit curiose quærere Christianos, ut Augusto Maximiano placeret. Et cum nunciatum esset ei, quod duo Christiani execratores, & injurias Deorum exercentes quotidie, seducebant populum, & multos in eorum errores pertrahebant; misit milites, & tenuit Beatos Valentinum Presbyterum, & Hilarium Diaconum, qui cum ante Proconsulem adducti fuissent, dixit eis Proconsul. Ex qua Provincia estis? Responderunt sancti Martyres, & dixerunt. *Primum quidem fatemur, nos Christianos esse, & Christi Discipulos*. Respondit Proconsul, & dixit: *De quo genere estis?* Responderunt sancti Martyres, & dixerunt. *De partibus Orientis advenimus, & de genere præclaro*

ro nati ſumus. Tunc dixit eis Proconſul. Sacrificate diis omnipotentibus, & eſtote primi Sacerdotes deorum noſtrorum. Sancti Martyres autem reſponderunt. *Nos quidem ſervi ſumus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & numquam inclinabimus cervices noſtras vanis lapidibus, & dæmoniis, quia teſtatur ſcriptura dicens: Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis*.

III. Hæc audiens Proconſul in iram ſuam exarſit, & juſſit ambos ad Tyberim perduci, ibique demergi. Quo ducti Martyres Chriſti, proſpicientes in cœlum, dixerunt. *Domine Jeſu Chriſte Fili Dei vivi miſerere nobis peccatoribus, & mitte Angelum tuum ſanctum de cœlo, qui ſuſcipiat animas noſtras, & ad tuum ſanctum conſpectum faciat pervenire, quia tu es benedictus in ſecula ſeculorum amen*. Et completa oratione, ligaverunt eis molam magnam ad collum, & jactaverunt eos in fluvium. Angelus autem Domini deſcendit, & diſrupit vincula eorum, & ſalvos, atque incolumes eos de fluvio eduxit.

IV. Quæſtionarii autem, qui jactaverunt ſanctos Martyres, dum reverterentur, invaſit eos urſus ferociſſimus, & occidit ex eis amplius, quam octo viros, & alii male mulctati fugerunt. Fugientes autem dicebant: quomodo ii ſervi Dei cultores veri erant Chriſti; credamus igitur, & nos in illum, in quem crediderunt & ipſi Beati Martyres Valentinus, & Hilarius. Et venientes perquiſierunt Beatum Eutychium Presbyterum, qui erat abſconditus: & cùm inveniſſent, miſerunt ſe ad pedes ejus, dicentes. Paſtor bone animarum Chriſto credentium, libera nos per tuam ſanctam doctrinam, & demonſtra nobis vitam Beatiſſimorum Martyrum Valentini Presbyteri & Hilarii Diaconi, quos injuſte per imperium nequiſſimi Demetrii Proconſulis necavimus in fluvio. At Beatus Eutychius indixit eis triduanum jejunium, & die ſancto

cto Dominico baptizavit eos cum omni familia eorum.

V. Venientes autem sancti Martyres Valentinus Presbyter, & Hilarius Diaconus, adiverunt Demetrium Proconsulem, eique dixerunt. *Ecce quanta bona præstat misericors Deus servis suis iis, qui diligunt illum. Tu nos in profundum aquæ mergi jussisti; Deus autem noster concite Angelum suum misit, qui nos ab undis aquarum absolvit: & ecce iterum venimus, ut prædicemus tibi, ut pœnitearis, & credas Christum Dei Filium, qui a Judæis fixus est in Cruce.* Tunc iratus Proconsul, jussit eos fustibus cædi. Illi autem clamabant. *Gratias tibi agimus Domine Jesu Christe Pastor bone, qui nos inter servos tuos vocare dignatus es.* Tunc jussit eos levari a terra, & diu torqueri, dicitque ad eos Proconsul. Sacrificate Deo magno Herculi. At Sancti Martyres dixerunt. *Miser, cui nos jubes sacrificare? Lapidi surdo, & muto: qui oculos habet & non videt, aures habet & non audit, pedes habet & non ambulat. Ecce talis sis tu, qualis est Deus tuus.*

VI. Tunc Demetrius Proconsul ira majori effervescens, dixit. Injuriam Deorum meorum ferre non possum, modo extinguam pertinaciam vestram: jussitque eos statim duci ad Pontem Camillarium prope Viterbium in via Cassia, ibique capite truncari. Quo ducti ambo Sancti Martyres Christi cum magno gaudio, capite plexi sunt tertio Nonas Novembris anno Domini CCCVI. & eadem hora magnum Herculis Templum funditus corruit: aliaque evenere prodigia, quæ fidei Christianæ veritatem apertissime testata sunt.

VII. Superveniente autem nocte Eudoxia religiosa mulier, magna pietate & lacrymarum copia, Sanctorum corpora prope martyrii locum sepulturæ mandavit. Quod cum Demetrio relatum esset, illam ad

ſe adduci præcepit ; & cognito quod Chriſtianæ Religionis cultrix, & Sanctorum Martyrum familiaris eſſet, crudeliter eam interfici juſſit.

VIII. Neque vero diu protractum eſt, cum Demetrius Proconſul graviſſimo dolore laterum correptus, ultricem in ſe justi Dei timens indignationem, pœnitentia ductus, divinoque lumine perfuſus, Christi fidem amplecti decrevit; & aqua Baptiſmali lotus, corporis & animæ ſanitatem recepit. Et pro Chriſti fide paulo poſt martyrium libentiſſime pertulit, magna admiratione omnium Viterbienſium: pro quorum ſalute florent in cœlis orationes Valentini, Hilarii, Eudoxiæ, ac Demetrii, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

VIII.

Lectiones Sanctorum Martyrum Valentini Presbyteri, & Hilarii Diaconi, a Sac. Rituum Congregatione approbatæ die 9. Auguſti 1662.

LECTIO IV.

Apud Pennatium pag. 337. Et apud cl. Andreuccium pagin. 14.

VAlentinus Sacerdos & Hilarius Diaconus claris orti parentibus, ſed fide clariores, deſiderio Chriſtianæ religionis ubique locorum propagandæ ſuccenſi, ab Oriente in Italiam profecti, variiſque Provinciis divini verbi prædicatione illuſtratis, tandem in Viterbium appulerunt, Maximiano Auguſto Imperatore: & ab Eudoxia nobili Matrona

trona hoſpitio recepti ſunt. Cumque ſacrilego Idolorum cultui totam fere civitatem addictam comperiſſent, ad veram Chriſti fidem traducere conati ſunt. Qua re cognita Demetrius Proconſul utrumque comprehendi, & ad ſe accerſiri præcepit: eiſque poſt multa ludibria & contumelias imperavit, ut Herculi magno, quem Viterbienſes præcipuo cultu venerabantur, ſacrificium offerrent. Sed invicti Chriſti pugiles hanc impietatem ſummopere deteſtantes, Deo vero, & non Idolo ſacrificandum eſſe conſtanter aſſeruerunt.

LECTIO V.

SAnctorum verba ægre ferens impius Judex, & graviſſime concitatus, juſſit eos præcipites in Tyberim demergi. Qua lata ſententia carnifices ingenti ſaxo collo Martyrum alligato, vinctos in fluvium projecerunt: Angelus autem a Deo miſſus, ſolutis vinculis ad alteram fluminis ripam incolumes tranſvexit. Porro ſatellites dum Martyres irridendo, quos jam extinctos putabant, Viterbium redeunt, urſum ferociſſimum obvium habuere, cujus unguibus, & morſibus quidam eorum dilaniati, & occiſi ſunt: alii vero mulctati, & patrati facinoris pœnitentia ducti, Chriſti fidem amplexi ſunt, & ab Eutychio Presbytero, qui Viterbii degebat, inſtructi & baptizati. Glorioſi interim Athletæ ope divina ab aquis erepti, denuo Proconſulem adeuntes, ejuſque arguentes immanitatem, gravi oratione hortati ſunt, ut abjecto gentilitatis errore, Deum verum agnoſceret, Chriſtique fidem, cujus potentia a ſubmerſione liberati fuerant, profiteretur. His vero auditis Proconſul quaſi quibuſdam furiis agitatus, eos iterum in carcerem trudi, & fuſtibus acriter cædi mandavit.

LE-

LECTIO VI.

IN his tormentis magna perfusi lætitia Martyres, Deo gratias agebant, quod digni habiti essent pro ejus nomine tormenta & contumelias pati. Qua de causa iniquus Judex iratus jussit, eos funibus in sublime attolli, graviora minatus supplicia, nisi Herculi sacrificent. Ad quæ illi nihil perterriti, cum lapidi surdo & muto se nunquam sacrificium oblaturos asserent, ut deorum contemptores, capitali sententia damnati sunt. Ducti igitur ad Pontem, qui tunc Camillarius dicebatur prope Viterbium via Cassia, capitibus obtruncatis, martyrii palmam acceperunt tertio Nonas Novembris, anno Domini trecentesimo sexto: quo tempore magnificum Herculis fanum subito terræmotu concussum funditus corruit. Horum corpora cum ibi inhumata manerent, Eudoxia noctu rapuit, & propè martyrii locum sepulturæ mandavit. Inde solemni pompa sexto Kalendas Februarii anno millesimo trecentesimo tertio in Ecclesiam Cathedralem Viterbiensem translata fuere: ibique sub ara eorum nomini dicata honorifice condita recoluntur.

I X.

Acta Martyrii SS. Gratiliani & Felicissimæ.

I. IN eo tempore, quo Claudius Cæsar per omnem Orbem terrarum, qui erat subjugatus ejus imperio, quarto anno imperii sui Edictum proposuit, ut ubicunqe fuissent Galilæi inventi, sine auditione punirentur. Hanc vero calamitatem intrepido animo, in Domino Jesu Christo sperans Gratilianus, non trepidavit, sed constanter in Christi nomine passionem excepit. Quo ita facto, dum fuisset parentibus suis unicus, curam magnam parentes filio impendebant. Factus est vero juvenis intimatus doctrina Christi, & accepit Evangeliorum librum, & legit in eo loco, ubi Christus dicit; *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Et: *qui amat patrem, aut matrem, sive fratrem plusquam me, non est me dignus.* *Apud Pennatium pag. 342.*

II. Dum hoc legisset B. Gratilianus, ambulavit ad Beatum Eutychium Presbyterum, & dixit ei. *Conjuro te per Christum, quem tu prædicas, ut dicas mihi, qualem acquisitionem a Christo acquirant, qui & eum confessi fuerint, & crediderint ei.* Respondit autem Eutychius Presbyter, dicens. Quicumque crediderint Christo, habebunt vitam æternam, & remissionem peccatorum. Tunc dicit ei Gratilianus. *Per lectiones Evangeliorum divinas te conjuro, ut non tardes mihi fidem Christi demonstrare, & baptizare me.* Et fecit eum Catechumenum: & post triduum baptizavit eum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; & indutus est vestimentis albis, celebraverunt mysteria Chri-

Christi. Depositis vero albis suis, participati sunt Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi.

III. Reversus vero ad parentes suos, dixit eis. *Ut cognoscatis, quia Christianus sum, & in Dominum Jesum Christum confido, numquam immolabo Diis vestris*. Tunc parentes ejus dixerunt ei. Non nos despicias fili, neque florem juventutis tuæ amittas: quoniam si hoc audierit Comes Trason, diversis pœnis te affliget. Dicit eis Gratilianus. *Per Christum Filium Dei, quia numquam pertimesco terrores vestros: ego enim spero, in quem speraverunt tres pueri Hebræi: quia ipse me liberabit de omnibus inimicis meis; & viam veritatis me docuit*. Dicit ei Maximianus pater ejus. Quid est veritas? Respondit sanctus Gratilianus, & ait. *Dominus Jesus Christus ipse est veritas, & lumen, quia ipse sic prædicavit: Ego sum via, veritas, & vita: qui credit in me, non morietur in æternum*. Tunc dicit pater ejus. Sacrifica diis magnis, & esto filius noster. Mater vero ejus lugebat filium suum, dicens. Heu me, quomodo me deseruisti fili, & florem tuæ juventutis amittis, & viscerum meorum orbitatem: proclamans pectore, & afflictus pater, & mater lugebant quotidie filium suum.

VI. Interim hoc audiens Comes civitatis Falaritanæ nomine Trason, misit suos Apparitores, & tenuerunt eum. Cumque adductus fuisset ante Comitem, arripuit Comes hos sermones, dicens. Cur stultissime Religionis lustratus es Christianorum Magorum, ut audio, & tu Magus effectus es? Dicit ei Gratilianus. *Ego non stultitiæ credidi, sed veritati, quia Christus veritas est: & quicumque ei crediderit, non morietur in æternum: & quicumque non crediderint Christo, supplicium æternum suscipient*. Dicit ei Comes. Deliras Gratiliane, quia stulte loqueris: sacrifica Deo magno Apollini, & redde te parentibus tuis: quia ami-

amicus noster est genitor tuus, & reddas te natalibus tuis, & non perdas florem juventutis tuæ. Dicit ei Gratilianus. *Ego quidem Christianus sum, & in timore ejus permaneo: & numquam me seducent blandimenta vestra, & a Christi amore non discedam, sed ei confiteor diu noctuque.*

V. Tunc Comes, ut vidit ejus constantiam, jussit eum recludi in carcerem privatam. At misit Trason Comes relationem Claudio Cæsari per scripta sua, injungens ei: quod quidem Maximianus habet filium in Civitate vestra servilem Falari unicum viscerum suorum nomine Gratilianum primæ juventutis florentem, & detentus est apud nos Christianus. Quod jubeat clementia vestra de eo. Et rescripsit ei Claudius Cæsar, dicens. Omnium bonorum dignus est Trason Comes noster. Claudius invictissimus Augustus: diligentissime, & bene a nobis jussa nostra custodiens præponentes secundum Edictum nostrum. Si autem non sacrificaverit diis magnis, diversis eum poenis examina, & morti trade: si autem consenserit cæremoniis nostris, hunc eum nobis dirige, & ego illum faciam unum a latere meo. Bene vale charissime Trason.

VI. Dum legisset Trason Comes jussionem Claudii Cæsaris, jussit sibi præsentari Gratilianum: Cumque adductus fuisset ante Comitem B. Gratilianus, dicit ei Comes. Ecce quam relationem misi de te Claudio Principi: & hoc mihi dignatus est scribere, ut diis magnis sacrifices: Si autem non sacrificaveris, morti traderis. Respondens B. Gratilianus dicit. *Sacrificent eis, qui sunt eorum, & qui suas animas dederunt Diabolo cum diis vestris.* Tunc vidit Comes, quia non consentiebat ei ad sacrificandum, jussit eum alapis cædi, dicens ei. Jussa Principum noli contemnere: & jussit eum detrudi in carcerem usque dum pertractaret de eo, qua morte puniret. Parentibus

vero ejus nulla consolatio penitus dabatur, sed lugebant quotidianis diebus filium suum.

VII. Dum esset B. Gratilianus in carcere, magna mirabilia faciebat; cæcos illuminabat, & paralyticos curabat: etiam & mortuos in nomine Domini Jesu Christi suscitabat. Audiens vero quædam mulier vidua nomine Fortunata de opinione S. Gratiliani, quia multa mirabilia faciebat positus in custodia: hæc habuit filiam unicam: erat enim oculis corporeis obcœcata, pulchra nimis, & decora facie, virgo prudentissima, & Domino dilecta; venit noctu ad B. Gratilianum in custodia cum filia sua nomine Felicissima Virgine Domino devota: rogare cœpit eum, ut dignaretur manus suas ponere super oculos ejus, ut per virtutem Christi, & ejus orationem Christus eam illuminaret. Tunc dicit ad eam B. Gratilianus. *Si credideris ex toto corde tuo, modo illuminaberis, non solum quia illuminabuntur oculi corporis tui, verum etiam cordis, & animæ simul Christus illuminabit.* Dicit ei Fortunata: si non voluissem eam illuminatam videre, non eam ad te duxissem: sed ut eam illuminaveris, mox credet in Christo. Et posuit manum suam super oculos ejus orans, & flens, dicens. *Illuminet te Christus Filius Dei vivi, qui illuminavit cœcum, & fecit lutum ex sputo suo: ipse te illuminet in corpore, & anima, ut credas, quia non est alius Dominus, nisi Christus Filius Dei vivi.* Et fecit ei signum Crucis in oculos ejus, & vidit lumen cœli, & faciem S. Gratiliani: & rogavit eum S. Felicissima dicens. *Per Christum te conjuro, quem tu prædicas, famule Dei Gratiliane, ut modo facias mecum misericordiam, & mihi ostendas sequi Christum.* Tunc dicit ei B. Gratilianus: *Ego quidem ostendo tibi soror mea viam Christi.* Et tunc obtulit ei B. Felicissima urceum cum aqua per illuminationem suam; & baptizavit eam, astante matre sua. Et dicit ei B. Gratilia-

tilianus : *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Et dum baptizata eſſet, agens gratias Deo, & B. Gratiliano, qui eam illuminavit per Christi virtutem. Dicit ei B. Gratilianus. *Ambulate ad B. Eutychium Presbyterum, & ipſe vos linibit Chriſmate ſalutis, ut perfectam cognoſcatis viam Chriſti*.

VIII. Ambulantes vero ad B. Eutychium Presbyterum, miſerunt ſe ad pedes ejus, dicentes. *Per Chriſtum te conjuramus, quem cognovimus per famulum ejus Gratilianum, ut non tardes nos linire Chriſmate ſalutis, quia ipſe nos huc ad vos direxit*. Et linivit, & conſignavit eam Chriſmate ſalutis : & docebat eam, ut Chriſtum diligeret. Dicit autem Fortunata B. Eutychio: Ego vadam, & revertar ad vos, ut ego cognoſcam Chriſtum.

IX. Cucurrerunt autem Carcerarii ad Comitem, & nunciaverunt ei, dicentes omnia quæcumque audierant, & viderant facta a B. Gratiliano. Et dicit eis Comes. Ite & comprehendite eos ſicut poteſtis. Tulit ergo carcerarius de officio Comitis viros, & ambulaverunt, ubi erat B. Feliciſſima. Cumque veniſſent ad domum B. Eutychii, ingreſſi ſunt, & apprehenderunt eam; Beatus autem Eutychius exilivit de manibus eorum, & timens fuga lapſus eſt: & duxerunt eam ad carcerem, ubi erat S. Gratilianus incluſus.

X. Alia vero die ſedit pro Tribunali in foro, & juſſit eos vinctos adduci. Adducti verò cum fuiſſent ante Comitem, dixit Comes B. Gratiliano. Ubi didiciſti iſta maleficia, ut ſeducas homines per maleficia tua. Reſpondit autem S. Gratilianus, & dixit ei. *Iſta non ſunt maleficia, ſed ſunt beneficia Chriſti, qui me non permittit vinci a diabolo patre tuo*. Et dicit ei B. Feliciſſima. *Quid te coarctat diabolus in Servos Dei iſta exercere?* Tunc juſſit, ut cum lapidibus os ejus tunderetur. Et iratus juſſit eos foras

 por-

portas civitatis decapitari non longe ab urbe Falaris juxta rivum. Cumque ducti fuissent S. Gratilianus & S. Felicissima, oraverunt dicentes. *Dominus omnium rerum visibilium & invisibilium, qui misisti unicum Filium tuum, ut nos redimeret a peccatis nostris, Dominum nostrum Jesum Christum, dignare modo mittere Sanctum Angelum tuum, qui suscipiat in pace animas nostras, & ad tuum conspectum jubeas adstare, qui es benedictus in secula seculorum. Amen.* Et extensis cervicibus suis statim decapitati sunt a spiculatoribus diaboli, B. Gratilianus, & B. Felicissima. Factus est vero, ut decollaverunt eos, sanguis, qui egressus est de corpore B. Gratiliani, albus, sicut nix.

XI. Parentes vero ejus lugebant quotidianis diebus filium suum: & auferentes corpora eorum sepelierunt ea in agro B. Gratiliani, quem emit pater suus ad nomen ejus pridie Idus Augusti, in loco, qui appellatur Maulanus.

XII. Et lamentum magnum habebant parentes sui, & lugebant quotidianis diebus filios suos. Et post triduum venit improviso silentio noctis cum Beata Felicissima Beatus Gratilianus & duo juvenes cum eis induti vestimentis albis ad parentes B. Gratiliani, dicens eis. *Videte me filium vestrum sanum esse per virtutem D. N. Jesu Christi, non quasi mortuos nos lugeatis; quia in Choro Sanctorum Apostolorum, & Martyrum sumus conjuncti: & soror mea Felicissima cum Regina Matre D. N. Jesu Christi permanet. Et annuncio vobis pacem, quæ data est Ecclesiæ Dei; & in isto mense interficietur Trason inimicus Christianorum, & a Claudio occidetur, morti tradetur a Cæsare. Non me lugeatis quasi mortuum parentes mei, sed credite in Domino Jesu Christo, qui vobis potest donare remissionem omnium peccatorum vestrorum, & vitam præstare æternam in sæcula.* Ablati sunt ab oculis eorum.

Post

XIII. Post diem tertiam misit Tribunum Eleutherium nomine Claudius Cæsar, & vinctum Comitem Trasonem perduxit ante Claudium Cæsarem, eo quod deprædatus fuisset Provinciam, & Civitatem: & jussit eum ligari ad caudam equorum indomitorum, & sic est interemptus, ut partes carnium ejus per loca plura dispersæ permanerent. Et sic D. N. Jesus Christus defendit suos Martyres, qui pro ejus nomine passi sunt. Parentes vero ejus dum vidissent, quia completum fuerat id, quod filius suus in visione dixerat, crediderunt Christo, & intimati sunt doctrina Christi, non habuerunt aliquam tristitiam de filio suo: quia cum Christo gaudentem susceperunt, qui vivit, & regnat cum Patre, & Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

X.

Acta Martyrii S. Secundi.

Apud Bollandianos Tom. 1. Junii pag. 52. ex Mss. Eugubino, & Bodecensi.

Prologus.

I. OMnia, quæ a sanctis gesta sunt, vel geruntur, si quis studiose voluerit perquirere, & sibi, & pluribus ædificationis exhibet fructum; ut quasi arbor fructifera non sine causa probetur terram occupare; quæ dum vivit, tum ipsa suis pomis ornatur, & omnes, qui ex ea volunt fructum percipere, saginantur. Scribimus, ut ex gestis audivimus, quid egerint, quid locuti sint, quid passi sint Sancti. Ideo audientes, ostendite vos esse Catholicos, qui Christi semper victorias legitis, & libenter auditis.

S. Secundus sub Maximiano latens Eugubii.

II. Tempore imperii Maximiani Cæsaris exiit edictum ab Urbe Roma, per Provincias, & Civitates, seu per Castella, ut ubicumque Christiani inventi fuissent, sine auditione punirentur. In illis vero temporibus

ribus per vicinas civitates multi Chriſtiani erant abſconditi; inter quos Beatiſſimus Secundus, ex genere Aureliani Imperatoris ortus, ſub cujuſdam domo religioſæ, & Chriſtianiſſimæ feminæ, nomine Eudoxiæ, erat abſconditus in civitate Julia, quæ Eugubia eſt dicta, quæ continuis diebus alimoniam ei adminiſtrabat: eratque B. Secundus totus in fide Apoſtolorum eximius, & prudens Chriſti miniſter, & ſuſceptor Sanctorum, vigiliis, & orationibus ſerviens Deo die, & nocte. Et quia nequit lucerna ſub modio abſcondi, neque Civitas ſupra montem poſita; factum eſt, ſub Dionyſio Proconſule in civitate Spoletina conſtituto, dum ei fuiſſet juſſio injuncta Maximiani Auguſti, cœpit ſtudioſe quærere Chriſtianos per loca diverſa: unde accidit, ut vicini vicinos, propinqui propinquos, amici amicos traderent.

Capitur, & ductus Spoletum, fidem profitetur.

III. Ex quibus pervenit ad aures Proconſulis fama B. Secundi. Iſte vero Proconſul Dionyſius, audiens de B. Secundo, quod Chriſtianus eſſet, in furorem nimium accenſus, miſſis Apparitoribus, qui eum arctarent, quam celeriter juſſit ſuis aſpectibus præſentari. Qui venientes cum magno ſtrepitu, invenerunt eum hora tertia in cubiculo Eudoxiæ Matronæ: & ſtatim ſine miſericordia rapientes eum, ligaverunt funibus, & perduxerunt Spoletum. Proconſul vero audiens adventum ejus, gaudio gaviſus eſt magno: qui ſtatim eum ſibi præſentari juſſit, cui & dixit: Ex qua Provincia es Juvenis? B. Secundus læta voce reſpondit: Chriſtianus ſum, & Chriſti diſcipulus. Dixit ei Proconſul: de quo genere es? B. Secundus ait: quantum ad nobilitatem, de genere ſum Aureliani Imperatoris, renatus in fide Sanctæ Trinitatis. Dixit ei Proconſul: ſacrifica diis omnipotentibus, & eſto amicus Cæſaris, ut decet virum de tanta proſapia. B. Secundus reſpondit; Ego me ipſum offero ſacrificium Deo in odorem ſuavitatis: nam dii gentium dæmonia; Domi-

nus

nus autem cœlos fecit ; dii vero tui impositis nominibus ab hominibus mortuis, lignum, & lapides esse probantur. Proconsul dixit; ergo non sunt dii, quos elegit Romana Religio? B. Secundus respondit: Non sunt dii : nam ut legitur in Codicibus vestris, quam male nati sunt: quam iniquos, crudeles, & sceleratos habuere parentes! & quia semper dolose vixerunt, pessima morte vitam finierunt, ituri ad mortem perpetuam, unde te adhuc revocare potes.

Crudeliter cæsus, divinitus confortatur.

IV. Proconsul hæc audiens, iracundia plenus, jussit eum expoliari, & nudum sub voce præconia cædi, dicens; quos Cæsar, & Romana Religio colit, blesphemare noli. Et tamdiu passus est B.Secundus, quousque tortores deficerent : & exinde iussit eum Proconsul in obscurissimi loci ima retrudi. Qui dum inclusus esset, statim lux de cœlo circumfulsit eum, & facta est ei vox, audientibus eis, qui circumstabant carcerem; Secunde, age, quod agere cœpisti, quia corona martyrii laureatus, possidebis gaudia coeli. Altera autem die eductus de carcere adstitit ante Præsidem, qui ei dixit: Secunde, noli proterve agere, consule tuæ nobilissimæ juventuti, & sacrifica deo Herculi, & esto amicus Cæsaris. B.Secundus respondit: Ex quo invisibilis, & verus Deus cœpit a credentibus coli, pax, & exaltatio Religionis Christianæ fuit, quæ promittit illam sperantibus retributionem, quam daturus est Deus his, qui diligunt illum: Vobis vero cæcis, qui omnia bona, quæ a Creatore omnium seculorum, omniumque creaturarum Domino Jesu Christo conceduntur, non Creatori, sed creaturis, & idolis manufactis, surdis, & mutis adscribitis, nisi conversi fueritis de vanitatibus, & superstitionibus vestris pessimis, æternus retribuetur interitus.

Recusans Herculi sacrificare. in equuleo

V. Proconsul vero torvo vultu, plenus furore, respondit; Quid variaris per multa? nihil tibi prodest va-

torquetur. Precibus evertit idolum.

vana loquacitas: ſacrifica deo Herculi: ſin autem, per ſalutem Maximiani Imperatoris, maximis te interficiam pœnis, & crudeli morte ſuperbus ſuperbe finieris. Dixit ei B. Secundus; erras Dionyſi ſuadens ut dimittam Deum cœli, & terræ, qui genus humanum condidit, & creavit, & adorem Idola lignea. & lapidea manufacta. Reſpondit ei Proconſul: elige unum de duobus: aut ſacrifica diis omnipotentibus, aut diverſis te interficiam pœnis. Dicit ei B. Secundus: numquam tibi bene ſit, canis perdite, fili iniquitatis, & perditionis. Et iratus Proconſul juſſit eum in equuleo levari, & diu torqueri. Dumque levatus fuiſſet B. Secundus in equuleo, acriter torquebatur. Tunc reſpexit cum lacrymis ad cœlum, & dixit: Domine Jeſu Chriſte, qui condidiſti cœlum, & terram, & omnem ornatum eorum, & feciſti hominem ad imaginem tuam, & dixiſti: Ego ſum Deus, & non alius præter me; exaudi ſervum tuum indignum in iſta hora, & mitte Angelum tuum ſanctum, qui Idolorum Templa ſubvertat, quia tu es benedictus in ſecula ſeculorum. Amen. Et ſubito factus eſt Terræmotus, & everſum eſt Templum Herculis, in quo ſacrificabat Imperator ſemel in anno, & erat Templum pulchritudinis, & amplitudinis magnæ.

Iterum torquetur.

VI. Et dum nuntiatum fuit Dionyſio Proconſuli, ſcidit veſtimenta ſua dicens: o quam cito artes tuæ magicæ prævaluerunt, ut Dominum noſtrum Herculem in pulverem converteres! & juſſit eum deponi de equuleo, & iterum in carcerem retrudi ſine cibo, & potu. Beatus vero Secundus exultans ibat, & ſigno ſanctæ Crucis ſe muniens, vanas declinans delirationes, & pro nihilo ducens tormenta momentanea, quaſi quis ad epulas invitatus, delectabatur: & iterum Angelicis viſitationibus conſolatus eſt. Die vero quinto decimo impius Proconſul B. Secundum præſentari fecit, & cum carduis flagellari, & plumbum bulliens

in

in os ejus mergi : ipſe vero gratias agens dicebat ; conforta me ſervum tuum Deus meus , & deſtrue minas adverſariorum meorum. Converte eos, Domine, ut cognoſcant te, & reſipiſcant ab Idolorum cultura, quia tu es benedictus in ſecula ſeculorum. Cumque egiſſet orationem B. Secundus, ſtatim terræmotus factus eſt magnus, ita ut fugeret Proconſul.

VII. Et die altera juſſit dari ſententiam, ut duceretur B. Secundus ad Ameliam Civitatem, præcipiens Quæſtionariis, ut ligato magno ſaxo in collo ejus demergeretur in Tyberim. Cumque perveniſſet B. Secundus ad Ripam fluminis, ligaverunt ei milites ſaxum molare ad collum. Ipſe vero genibus flexis orabat dicens; Domine Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi, qui præcepto Patris mundum ſalvaſti, miſerere ſervo tuo, & mitte Angelum tuum, qui ſuſcipiat ſervum tuum, qui es benedictus in ſecula ſeculorum. Amen. Et completa oratione, projecerunt eum in Tyberim, & reverſi ſunt. Quos ſtatim Dei nutu invaſit ferociſſimus urſus, & occidit ex iis octo viros; cæteri vero dilacerati fugerunt. Confitentes vero Chriſtum, quem credidit B. Secundus, venerunt ad B. Eutychium Presbyterum, miſeruntque ad pedes ejus ſe, dicentes; Miſerere noſtri, Domine, & doce nos fidem B. Secundi, quem nos injuſte per juſſionem Dionyſii necavimus in fluvio, & fac nos Chriſti eſſe conſortes. B. Eutychius dixit eis: ſi ex toto corde in Chriſtum creditis, omnia condonantur vobis. At illi una voce dixerunt. Credimus in Chriſtum, in quem credidit B. Secundus. Et accepta aqua baptizavit eos, & confirmatos in fide ſanctæ Trinitatis dimiſit in pace: erant autem viri duodecim.

Ameliæ cum ſaxo ſubmergitur. Puniuntur lictores, & a S. Eutychio Presbytero batizantur.

VIII. Piſcator quidam nomine Maurus, dum quadam die piſcaretur, invenit Corpus S. Secundi juxta ripam fluminis ſina mola: ſtatimque apprehendens recondidit ſub arbore. Quæ cum divulgata fuiſſent, ivit

Corpus S. Secundi ſepelitur.

ſupradicta Eudoxia ; & tulit Corpus B. Secundi ; & tranſtulit in Civitatem Juliam , quæ Eugubia dicitur, unde dictus Sanctus ductus fuerat : & ſepelivit eum prope jam dictam Civitatem Eugubiam milliario XVI. in pace . Ubi florent orationes ejus in multorum virtute miraculorum uſque in hodiernum diem ad honorem D. N. Jeſu Chriſti , cui cum Patre , & Spiritu ſancto eſt honor , & gloria in ſecula ſeculorum . Amen .



INDEX.

De Sanctis Ferentinis in Tuscia, Bonifacio, ac Redempto Episcopis, deque Presbytero & Martyre Eutychio

DISSERTATIO.

CAPUT I.

De Ferentinis Italiæ locis.

Unum

CAPUT II.

De S. Bonifacio Ferentino Episcopo.

CAPUT III.

De S. Redempto Episcopo.

Re-

CAPUT IV.

De S. Eutychio Ferentino Presbytero & Martyre.

CAPUT V.

De ejusdem Eutychii nomine, Ecclesia, & Festo, deque aliis ab ipso diversis Eutychiis.

CAPUT VI.

De actis S. Eutychii Presbyteri & Martyris.

CAPUT VII.

Unus ne, an duo Eutychii Presbyteri Ferentini fuerint.

APPENDIX

Ad acta SS. Bonifacii & Redempti Episcoporum, & Eutychii Presbyteri & Martyris.

FINIS.

